



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VII. De contritione,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

his verbis: *Pœnitentia in tribus partibus suis configuratur Trinitati increate, compunctio enim five contritio, quæ ex modica pena commutat æterna tormenta, innititur bonitati, quæ attribuitur Spiritui Sancto: Confessio autem, quæ legitima est & prudens computatio peccatorum ut æstimetur ad pœnitentiam, respondet sapientiæ, quæ attribuitur Filio; & satisfactio, quæ secundum vires amplectitur injuncta, fulcitur potentia, quæ Patri appropriatur.*

De his tribus pœnitentiæ partibus sigillatim nobis incumbit agendum, tribus sequentibus disputationis; deinde de absolutione Sacerdotali, quæ est altera pars Sacramenti pœnitentiæ, gerens vicem formæ, fusè differemus, ac celebres quæ de illa agitantur quæstiones, breviter ac dilucide resolvemus. Unde fit.

DISPUTATIO VII.

De contritione.

Ad quinque primas quæstiones supplementi.

CUM D. Thomas morte præventus non potuerit de partibus pœnitentiæ in particulari, nec de tribus ultimis Sacramentis, Extrema-Untione, Ordine, & Matrimonio scribere ejus Discipuli, ad complementum hujus tertiæ partis, & totius Summæ Theologiæ ejusdem Doctoris Angelici, ex scriptis ejus in quartum librum sententiarum, quæstiones quæ deerant, in unum opus collegerunt, quod supplementum Summæ appellarunt, in quo primò agitur de contritione, quæ est prima pars Sacramenti pœnitentiæ, de qua etiam in hac disputatione nobis erit agendum.

ARTICVLVS I.

An in dolore de peccato, vel in ejus odio, aut in utroque simul, consistat essentialiter ratio contritionis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & verior seu probabilior eligitur.

¹ SUPpono primò ex D. Thoma hic quæst. 1. art. 1. hoc nomen *contritio*, derivari à verbo *contrere*, quod significat rem duram in minutissimas partes dividere seu reducere: nam quia peccatum cor & voluntatem hominis indurat, actus ille quo hæc duritia tollitur, & peccatum deletur, merito à Theologis *contritio* appellatur. Hinc Guilelmus Parisiensis pœnitentiam à qua oritur contritio, sic describit: *Pœnitentia est cordis confractio, & comminutio, ac veteris hominis in pulverem redactio.*

² SUPpono secundò ex eodem §. Doctore ibidem, veritas tradi solere contritionis definitiones, seu descriptiones. Primò dicitur *dolor pro peccato assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Secundò, *dolor voluntarius pro peccato, puniens quod dolet se commisisse.* Tertiò ab Iudoro sic describitur: *Contritio est compunctio*

^A & humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recognitione peccati, & timore iudicii. Quarta definitio quæ est Augustini sic habet: *Contritio est dolor in mitemens peccatum.* Quinta quæ est Gregorii magistri talis est: *Contritio est humilitas spiritus, amittitio à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. dicitur anima dolor ab detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* In qua definitione tres recentiorum actus, ad contritionem perfectam concurrentes, nimirum dolor de peccato, ejus odium seu detestatio, & propositum amplius non peccandi.

^B SUPpono tertio, ex his tribus actibus, ultimum non esse de essentia contritionis, utpote cum sit actus ab ea distinctus, & contingere possit, quod aliquis dolens de peccatis propter Deum faciat dilectum, iustificetur sine tali proposito explicito quia nimirum non cogitat de vita de futura, sed tantum de divina bonitate, & gravitate offensus Deum commisse. Fateor tamen tale propositum esse propriam passionem actus contritionis, cum ex eo quod quis de peccato dolet, ipsamque detestetur, lequatur ex natura rei, quod reus amplius non peccare. Restat ergo discutere solum de aliis duobus actibus, nimirum de odio peccati, & de dolore five tristitia de ejus commissione, in quonam scilicet ex illis ratio contritionis essentialiter consistat?

^C Prima sententia, quæ est Cajetani tomo 1. regulæ tract. 4. quæst. 1. docet quod illa consistit essentialiter in actu odii de peccato, & quod dolor habet tantum ut propria ejus passio. Secunda quam tenet Suarez quæst. 85. disp. 4. sect. 1. asserit illam esse essentialiter detestationem peccati, quam vult esse actum distinctum tum ab odio quam à dolore peccati. Tertia verò existimatur, illam tam in actu odii de peccato, quam in actu doloris consistere essentialiter. Ita Agidius Caninck in Tract. de pœnit. disp. 1. dub. 2. Pro resolutione.

^D Dico primò, contritio non consistit essentialiter in aggregato actuum odii seu detestationis peccati, ac doloris de ipso, quamvis utrumque necessario includat.

probatur prima pars: Actus primarius, cuiusque virtutis specialis debet esse unus tantum, & non aggregatum ex pluribus; cum enim debeat immediate ab illa elici, & per ordinem ad ipsam talis virtus specificetur, debet necessario esse illi similis in specie, subindeque cum virtus specialis sit simplex qualitas unius speciei, actus ejus primarius, debet esse simplex actus unius speciei, & non quid aggregatum ex multis actibus: Sed contritio est actus primarius pœnitentiæ, quæ est virtus specialis ut disp. 2. art. 2. ostensum est. Ergo contritio non consistit essentialiter in aggregato actuum odii seu detestationis de peccato, ac doloris de ipso, sed in uno solù ex illis duobus actibus.

^E Quod verò utrumque necessario includat, manifestum est, quia ad destructionem peccati ad quam pœnitentia ordinatur essentialiter, requiritur odium & detestatio peccati, ac simul dolor & tristitia de ipso; nam odium & detestatio per se causant dolorem de ipso, & dolor per se supponit odium & detestationem mali præsentis, non enim quis dolet, nisi de malo quod displicet.

Dico secundò, contritio consistit essentialiter in dolore de peccato, ut est offensa Dei, & propositivè tantum in odio five detestatione ipsius. Probatur

Probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. ubi A
de iniens contritionem dolore de peccatis &c.
dicit: ita dolorem poni in hac definitione tanquam
genus.

7. Probatur secundò conclusio ratione funda-
mentali. Contritio consistit essentialiter in illo
actu voluntatis quo peccatum destruitur in ra-
tione offensæ, seu quo exhibetur Deo satisfactio
pro injuria. Atqui ille actus non est odium sive
detestatio peccati, sed dolor de illo: Ergo contri-
tio consistit essentialiter in dolore de peccato,
non verò in odio sive detestatione ipsius. Major
constat, nam sicut penitentia respicit peccatum
sub ratione offensæ, ut per satisfactionem com-
pensabilis, ita & eius actus principalis & primari-
us, qui est contritio. Minor verò probatur: A ctus
quo homo exhibet Deo satisfactionem, debet al-
iquid auferre ab homine, & illud quodammodo
tribuere Deo, a quo per peccatum abstulit,
quantum in se est, honorem, puniendo in se ipso
offensam: Atqui per odium seu detestationem
peccati hoc non fit, bene autem per dolorem;
per simplicem enim detestationem nullum ho-
mo malum patitur, sed potius maximum recipit
bonum nempe bonum honestum; & contra verò
qui dolet de peccato, patitur quoddam malum
pænæ, scilicet tristitiam. Ergo per dolorem de
peccato, non verò per ejus odium seu detestatio-
nem, exhibetur satisfactio pro injuria.

4. Confirmatur: Contritio materialis est divisio
sive comminutio rei in minimas partes, & prop-
terea contritio spiritualis ex materiali translata
importat divisionem sive comminutionem cor-
dis aut affectus in peccato indurati, in minima,
ut in prima suppositione annotavimus: Sed hæc
perfecta divisio & comminutio cordis aut affec-
tus non potest intelligi in actu odii seu detesta-
tionis de peccato, cum tunc solum incipiat pec-
tum dupliciter, bene tamen in dolore de pec-
cato, cum talis dolor importet tristitiam & affli-
ctionem spiritus, quæ spiritus in se conteritur, &
quodammodo comminuitur. Ergo contritio non
consistit in actu odii vel detestationis peccati,
sed in dolore de ipso; quamvis talis dolor actum
odii vel detestationis ut pravius connotet, qui
ut supra dicebamus, fieri non potest ut quis doleat
de aliquo, nisi prius, saltem ordine naturæ,
illud odium habeat & detestetur tanquam malum.

9. Probatur tertio conclusio ex absurdo & incon-
venienti quod sequitur ex adversa sententia: si
enim contritio consisteret essentialiter in odio
peccati, cum in beatis sit perfectissimè & prop-
riè tale odium, esset in eis propriè actus contri-
tionis: Sed hoc dici nequit, ut faceretur Adversa-
rii: Ergo nec illud.

10. Dices cum Adversariis: Licet dolor in exerci-
tio habitus, non sit de essentia contritionis, est
tamen de essentia actus in quo consistit contri-
tio, quod ab illo fluat dolor ex natura rei, atque ad-
dedit non quodcumque odium peccati est essentia-
liter contritio, sed tale odium cui ex natura rei
potest convenire dolor tanquam proprietas;
quale tamen non est odium beatorum, sed tan-
tum odium nostrum.

Sed contra: Licet gratia quæ erat in Christo
non esset talis cui posset convenire fides, aut peni-
tentia, erat tamen vera gratia: Ergo similiter
licet tale sit odium peccati in beatis, ut ab eo flue-
re non possit aliquis dolor; si tamen contritio
non consistat essentialiter in dolore, sed in odio,
erit verè & propriè in beatis, licet doloris omnis

Tom. V.

expertibus; quamvis enim privaretur dolore con-
sequenti per modum proprietatis, hoc tamè non
impediret, quin esset verè & essentialiter contri-
tio.

Demum specialiter confutari potest opinio
Suaris, ex eo quod falsum supponat, nimirum de-
testationem esse actum realiter distinctum ab o-
dio: in voluntate enim circa bonum & malum
sunt tantum illi actus qui respondent passioni-
bus appetitus sensitivi: Sed odium & detestatio
correspondent eidem passioni, quæ etiam deno-
minatur odium; nullusque unquam dixit, odium
& detestationem esse duas passiones realiter di-
stinctas: Ergo detestatio peccati non est actus
distinctus ab ejus odio.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusio-
nem: Tridentinum sess. 14. cap. 4. defini-
ens contritionem, ait illam esse detestationem &
dolorem de peccato: Ergo in utroque actu con-
sistit essentialiter.

Respondet concessio Antecedente: negando
Consequentiam, Concilium enim definiens seu
potius describens contritionem: vocat illam de-
testationem & dolorem de peccato, non quod
existimet illam consistere essentialiter in utroque
actu; sed ut significet, detestationem peccati ef-
se quid prævie requisitum ad dolorem de illo, &
talem dolorem à detestatione seu odio peccati
procedere, sicut gaudium oritur ab amore. Un-
de etiam in eadem contritionis descriptione sub-
dit, illam esse dolorem & detestationem de pec-
cato commisso, cum proposito non peccandi de ca-
tero, ut declarat tale propositum esse quid con-
sequens ad contritionem, ac veluti ejus proprie-
tatem, ut in tertia suppositione dicebamus.

Obijcies secundò contra secundam conclusio-
nem: D. Thomas in hac quaestione & alibi sæpe
ait, contritionem esse displicentiam de peccato:
Sed displicentia de peccato est formaliter odium
peccati: Ergo contritio consistit essentialiter in
actu odii de peccato.

Respondet D. Thomas ibi accipere displicen-
tiam pro dolore, ut aliquando solet accipi, sicut
& complacentia accipitur aliquando pro gaudio.

Obijcies tertio: In eo consistit essentialiter
contritio, quod per se primo opponitur pec-
cato: Sed quod primò opponitur de peccato, non
est dolor, sed odium: Ergo in odio non verò in
dolore consistit essentialiter contritio. Major
est certa, cum enim penitentia per se primo op-
ponatur peccato, contritio in qua formaliter
consistit, debet per se primum opponi peccato.
Minor verò probatur: Peccatum est amor inor-
dinatus creaturæ: Sed odium peccati per se pri-
mo opponitur amor inordinato creaturæ: Ergo
per se primò opponitur peccato.

Confirmatur: Cum nomen contritionis signi-
ficet actum illum qui est divisio cordis, & aver-
sio à peccato, metaphorà deductà à verbo *contere-
re*, quod significat rem aliquam duram in minu-
tissimas partes dividere, per id essentialiter con-
stitui debet, per quod primum homo verè sepa-
ratur à peccato: Sed verè & primum separatur à
peccato, per ejus odium: Ergo in eo essentialiter
consistit. Major constat, Minor verò probatur,
Odium peccati est verè fuga à peccato, atque
ad id separatio ab eo. Item præcedit dolorem,
subindeque prius separat quam dolor.

D d d

Ad

16. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: In eo consistit essentialiter contritio, quod per se primo opponitur peccato, ut est offensa contra Deum, concedo Majorem. Ut est amor contra Deum summum bonum, nego Majorem. Cum enim penitentia sit virtus iustitiæ annexa, & a charitate distincta, ut disp. 2. offensum est, actus ejus primarius & principalis, qui est contritio, non nisi præsuppositivè adversatur peccato ut est contra Deum summum bonum, quem charitas respicit; formaliter verò sive essentialiter opponitur peccato, ut est summa injuria in Deum. Similiter distinguo Minorem: Primum quod opponitur peccato, ut amor contra Deum summum bonum est odium, concedo Minorem. Primum quod opponitur peccato, ut injuriæ Deo illatæ, & puniendi per satisfactionem, est odium, nego Minorem, est enim actus quo peccator dolet de tali offensa. Unde

17. Ad confirmationem, distinguo Majorem: Per id essentialiter constitui debet contritio, quod est verè & primum separatio à peccato, tanquam à summo malo, nego; hæc enim separatio se habet præsuppositivè ad contritionem: quod est separatio à peccato, tanquam ab injuria facta contra Deum, exhibendo ei debitam satisfactionem, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Per odium peccati verè & primum peccator separatur à peccato, tanquam à summo malo, concedo Minorem. Tanquam ab offensa contra Deum, exhibendo ipsi recompensationem, nego Minorem. hoc enim est proprium doloris, unde nego etiam Consequentiam.

18. Objicies ultimum: Si quis diligat Deum super omnia, & consequenter odio habeat peccatum, absque eo quod cogitet de dolore habendo, hic erit verè contritus: Ergo contritio non consistit essentialiter in dolore de peccato.

Respondeo illum virtualiter tantum esse contritum, sed non formaliter; si enim advertens nolit dolere, statim peccabit mortaliter, & cessabit amor Dei, ac verum odium de peccato.

ARTICULUS II.

Utrum contritio differat essentialiter ab attritione?

19. **D**ividi solet à Theologis contritio in perfectam, quæ simpliciter dicitur contritio; & est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: & in imperfectam, quæ appellatur attritio, & est dolor de peccatis ex alio motivo quæ charitatis, id est, ex aliquo motivo honesto, quod non sit ipse Deus, quatenus in se ipso est summum bonum, à quo peccatum mortale avertit. Hujusmodi verò attritio duplex est, una oritur ex metu gehennæ & aliarum poenarum, altera ex peccati fœditate, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. Quæ divisio adæquata & sufficiens est, nulla enim est species attritionis, quæ non contineatur sub aliqua illarum duarum. Nam dolor de peccato, ut est contra rectam rationem, vel ut est contra iustitiam, aut aliam quamlibet virtutem, est species detestationis peccati propter ejus fœditatē; quandoquidem esse contra rectam rationem, est generalis fœditas peccati; esse verò contra iustitiam, aut religionem, vel aliam virtutem, est specialis ejus fœditas. Illa verò attritio, quæ habe-

atur ob amorem vitæ æternæ, reduci potest ad eam quæ oritur ex metu poenarum; quia si fuerit eadem virtutem spei pertinenti huiusmodi actui, ut vitæ æternæ, & timor poenæ æternæ, sic etiam ejusdem virtutis aut quasi virtutis, sunt attritiones conceptæ ex amore vitæ æternæ, & attritiones conceptæ ex odio poenæ æternæ. His præmissis pro resolutione difficultatis proponitur.

Dico breviter, Contritionem perfectam distinguere essentialiter ab attritione.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Actus qui diversa objecta formalia respiciunt, distinguuntur essentialiter: Sed contritio & attritio respiciunt diversa objecta formalia: Ergo distinguuntur. Major patet, distinctio enim speciei actuum sumitur ex ordine ad objecta formalia quæ respiciunt. Minor etiam manifesta est, nam objectum formale contritionis est peccatum in ratione formali injuriæ Deo illatæ; ob id attritionis est idem objectum sub formali ratione mali ipsius peccatoris, vel sub ratione temporis & inhonesti, ac recte rationi repugnantis, ut ex supra dictis patet.

Confirmatur: Illi actus specie differunt, qui eliciuntur ab habitibus specie diversis: Sed contritio perfecta & attritio procedunt à virtutibus specie diversis; contritio enim elicitur à virtute poenitentiae, & est actus ejus primarius & principalis; attritio verò vel est à virtute spei, quando dolet de peccato ex metu gehennæ, vel ob amorem vitæ æternæ, ut constat ex supra dictis; vel ab aliqua virtute morali infusa, quando dolet de peccato, ob turpitudinem propriam; cum enim qualibet virtus habeat amare bonum quod respicit, & detestari malum oppositum, ad virtutem infusam temperantiæ v.g. pertinet nedum amare honestatem temperantiæ, sed etiam detestari peccatum intemperantiæ, ut opponitur tali honestati, seu quod idem est, secundum propriam deformitatem quam habet, & quæ non reperitur in aliis peccatis. Idem cum proportionem directam de aliis virtutibus: Ergo &c.

Dices, Quando homo est in peccato, non habet virtutes morales infusas; acquiritur verò, cum sint naturales, non sufficiunt ad actum supernaturalem eliciendum, cujusmodi est attritio, de qua loquimur: Ergo &c.

Respondeo quod tunc elicitur à voluntate elevata per auxilium supernaturale, non autem per aliquem habitum! semper tamen manet illam attritionem distinguere essentialiter à contritione, quia dolere de peccato ex diverso motivo, supra explicato.

Ex hac differentia essentiali sequuntur alia: Prima est, quod omnis contritio necessitate obligat super omnia peccata, cum omnia peccata sint offensæ Dei; non autem attritio; quæ esse potest de peccato vel ut causativo peculiari poenæ à Deo inflatæ, vel ut continente specialem deformitatem alicui virtuti oppositam.

Ex hoc oriuntur alia differentia, nimirum quod contritio semper excludit omnem affectum peccandi; quia cum detestetur omnia peccata sub aliqua ratione communi, nequit retinere affectum ad aliquod particulare; secus verò attritio, quæ cum interdum procedat ex motivo speciali contra unum peccatum, non semper opponitur cuilibet peccato. Unde attritio procedens ex deformitate speciali alicujus peccati, non sufficit ad justificationem peccatorum in sacramento obtinendam, si peccator alia peccata specie diversâ commiserit.

sed tot debent multiplicari attritiones, quot sunt peccata specie diversa; cum tamen una contritio semper sufficiat pro omnibus peccatis, quia illa, ut diximus, est ex motivo universali cadente super omnia peccata.

24 Tertia differentia: Contritio habet convertere hominem in Deum ut ultimum finem, non verò attritio; quia contritio cum sit dolor de peccato ut est offensa Dei, facit hominem recedere a peccato, & accedere ad ipsum Deum; impossibile enim est recedere a termino a quo, & non accedere ad terminum ad quem. At verò attritio, cum sit dolor de peccato ex metu gehennæ, vel ob turpitudinem peccati, facit quidem recedere a peccato, sed non facit accedere ad Deum immediate & efficaciter, sed tantum ad vitatitatem penarum, vel ad honestatem virtutis cui opponitur propria turpitudine peccati.

25 Ex hoc oritur quarta differentia, nimirum quod attritio potest procedere ex timore servili, contritio verò sèper imperatur a charitate; cum enim accedere ad Deum ut ultimum finem, sit proprium charitatis, nulli alteri potest competere, nisi ex imperio charitatis.

16 Quinta differentia est, quod attritio potest esse informis, contritio nunquam; quia attritio neque ex natura sua, neque ex divina promissione, affert secum infallibiliter gratiam justificantem; contra verò contritio, cum a charitate imperatur, & ad Deum ut ultimum finem convertat, semper & infallibiliter disponit ad justificationem, & habet annexam amicitiam & perfectam conversionem Dei ad peccatorem, per infusionem gratiæ sanctificantis.

27 Sexto in eo contritio & attritio differunt, quod contritio detestatur peccatum supra omne malum penarum, non verò attritio, quæ est ex motivo gehennæ; nullus enim actus excedit motivum sub quo fertur in objectum, cum a deo habeat totam suam vim & efficaciam. Ergo qui detestatur peccatum solum propter malum penarum, non detestatur plus peccatum, quam malum penarum.

28 Demum contritio est dolor perfectus de peccatis commissis, attritio verò est solum imperfecta quedam de illis displicentia, ut declarat D. Thomas hic art. 2. ad 2. his verbis: *Attritio non dicitur accessum ad perfectam contritionem, unde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta. Sed contrita dicuntur, quando omnes partes trita sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo attritio significat in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam.*

29 Ex dictis inferes contra Cajetanum, attritionem nunquam posse fieri contritionem formaliter, quia cum differant essentialiter, & non tantum penes intensiorem, aut durationem, vel aliud accidentale, non potest una fieri altera per accessionem novi gradus, aut quid simile, sed opus esset mutatione essentiali, quæ impossibilis est: nulla enim res potest esse aliud quàm id quod est essentialiter secundum suam speciem vel naturam. Dixi non posse fieri contritionem formaliter, quia in Sacramento penitentiae attritio fit contritio virtualiter seu æquivalenter, nam ut adjuncta tali Sacramento, habet vim contritionis, & obit quodammodo munus illius, eiq; æquivalet, quia disponit hominem ad effectum Sacramenti, seu ad justificationem, sicut ipsa contritio, ut art. seq. ostendimus. Et in hoc sensu intelligi debet com-

Tam. V.

mune illud Theologorum axioma, Sacramentum penitentiae de attrito facit contritum; quia nempe attritio, ut juncta tali Sacramento, contritioni æquivalet. Vel ut alii volunt, hæc propositio non est intelligenda de contrito actualiter, sed tantum de contrito habitualiter; quia nimirum licet qui solum attritus ad Sacramentum penitentiae accedit, non habeat actum formalem contritionis, habet tamen cum gratia sanctificante infusum habitum penitentiae, qui cum sit ex propria ratione principium actus contritionis, licet actum non eliceat, sufficiens tamen est ad denominandum habitualiter contritum. Unde notat Soto in 4. dist. 17. quæst. 2. ar. 5. concl. 2. significantius dicit, homo ex attrito fit contritus, adveniente gratia, quàm attritio fit contritio, quia hic posterior modus loquendi significat mutationem intrinsecam attritionis in contritionem, prior verò solum denotat mutationem extrinsecam ex parte subiecti, quod de attrito in actu, fit contritum habitu.

ARTICULUS II.

An attritio ex metu gehennæ sit actus bonus, & sufficiat ad dignè & fructuosè recipiendum Sacramentum penitentiae?

1 Utherani damnant dolorem ex timore penarum conceptum, asseruntque illum facere homines hypocritas, & magis peccatores. Quidam verò Doctores Catholici, inter quos Estius, Sylvius, & Jansenius præcipui sunt, fatentur quidem attritionem quæ quis dolet de peccato ex solo timore penarum infernalium, esse actum bonum & honestum, sed negant illam esse sufficientem dispositionem ad dignè suscipiendum Sacramentum penitentiae, ejusque effectum consequendum. Eandem sententiam tenent multi Doctores, qui ante Tridentinum scripserunt. Verum post Tridentinum communiter rejicitur à Theologis, qui unanimi fere consensu docent, attritionem ex metu gehennæ, non solum esse actum bonum & honestum, sed etiam ad Dei gratiam in Sacramento penitentiae impetrandam disponere, eique sententiæ aperte videtur favere Concilium sess. 14. cap. 4. ut patebit ex infra dicendis.

§ I.

Lutheranorum error refellitur.

1 Ico primò, attritio ex metu gehennæ, est actus bonus & laudabilis, ac utilis ad salutem. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 6. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ motum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Et sess. 14. cap. 4. definit, dolorem ex gehennæ & penarum metu conceptum, si voluntatem peccandi excludat, cum spe venia, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem verum donum Dei esse, & spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.

Probatum primò conclusio ex Scriptura: Proverb. 1. *Timor Domini principium sapientiae, quod*

quod SS. Patres explicant de timore servili, nam hic est, qui sapientiam inchoat; non filialis, qui illam perficit & consummat. Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, inchoative scilicet & dispositive, quia ad justificationem & expulsionem peccata disponit. Unde Isaia 26. ubi Vulgata habet: *Concepimus & quasi parturimus, & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra*: Septuaginta legunt: *A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis*, id est penitentia salutaris, ut explicat D. Thomas 3. p. quæst. 85. art. 5. in argumento *sed contra*. Huc pertinere potest, quod Augustinus Tract. 8. in Epist. 1. Joan. ait: *Cæpit aliquis credere diem iudicii: Si cæpit credere, cæpit & timere: Timendo corrigit se, vigilat adversus hostes suos, id est peccata sua; incipit reviviscere interius &c.* Et Tract. 9. in Epist. Joan. Opus est (inquit) ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas. Adhibetque ad id confirmandum similitudinem setæ, per quam linum introducit. Si nullus est timor (subdit) non est quæ intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum &c. Rem in Psal. 127. aperte docet hunc timorem servilem, bonum esse & utilem: Ille timor nondum castus (inquit) presentiam Domini, & penas timet; timore facit quicquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est. Et certè, nisi bonus esset & utilis, Christus ad illum non hortaretur Matth. 10. sic dicens: *Time eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam*. Nec Joannes Baptista Lucæ 3. ex timore penæ homines ad penitentiam excitasset, his verbis: *Genimina viperarum, quis ostendet vobis fugere à ventura ira?* Facite ergo fructus dignos penitentia. Nec etiam tantopere SS. Patres timorem illum commendarent & laudarent, sicut illum extollunt; nam Clemens Alexandrinus illum *fidei coadiutorem* appellat: Ambrosius, *clarum animæ fluctantis*: Gregorius Magnus: *Anchora mentis* (inquit) *pondus timoris*. Tertullianus de cultu foemin. cap. 2. *Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris*: Demum Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 14. *Quasi quidam custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo carismatum ponitur, ad conservandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosissima pietas, sed facile ab impietate subripitur, nisi timore custodiatur.... Habeamus bonas & pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi pedagogi, scilicet timoris.*

33. Potest etiam conclusio hac ratione tuaderi. Timor est quædam fuga mali; fuga verò mali rationem suam sumit ex bono cui opponitur istud malum, cum malum odio habet & fugi non possit, nisi quia adversatur bono: Sed bonum cui adversatur gehenna tanquam malum, nempe celestis gloria & beatitudo, licito, bono, rectoque desiderio appeti potest: licitum ergo, bonum, & rectum est, gehennam, tanquam oppositum ei malum, timendo fugere, subindeque attritio ex metu gehennæ est actus bonus & laudabilis.

34. Confirmatur: In attritione ex metu gehennæ tria solum reperiuntur, nempe intentio finis, videlicet voluntas fugiendi penam: medium, scilicet deestituti peccatum; & ordinatio talis medii ad illum finem: Sed quodlibet ex illis tribus est bonum & honestum: Ergo & attritio ex metu

A gehennæ bona & honesta est. Major patet. Minor verò quoad singulas partes suadet. In primis quod voluntas fugiendi penam bonam, manifestum est, utpote cum illa pena quam in la, & ex se odio digna. Quod etiam deestituti peccati sit bona, per se constat. Denique quod ejus ordinatio ad vitandam penam, bona sit, eo patet; quod nullum est medium aptius evitatur rei ad vitandum penam, quam vitare culpam; & licet culpa sit malum altioris ordinis quam pena, dummodo tamen deestituti peccati ordineur ad fugam penæ præcisè tanquam ad finem proximum, ita ut non excludat peccatum ulteriolem ejus relationem ad Deum, non est illa talis ordinatio, sed bona; Deus enim in interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris ordinis, quando utrumque in gloriam suam cedit, ut patet in Incarnatione & passione Christi, quam ordinavit ad nostram salutem, tanquam ad finem proximum; juxta illud Symboli Nicæni: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de caelo, & incarnatus est.*

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

C Contra istam conclusionem obijciunt hæretici: Qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis, peccat: Ergo attritio ex metu gehennæ non est actus bonus & laudabilis. Consequenter patet, Antecedens probatur multipliciter. Primo ex Augustino dicente quod si sit delinquantem ex eo solum quod videtur, furi est confusio: Ergo similiter qui dolet de peccato, & delinquantem peccat ex eo solum quod timet gehennam, peccat: confusio est.

Secundo, Actus quo quis magis dolet de penam quam de culpa, est malus & vituperabilis, utpote contra rationem naturalem dictantem magis esse dolendum de majori malo, quam de minori. Sed qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis suis, magis dolet de pena, quam de culpa: dolet enim de culpa propter poenam, propter quod artem unumquodque tale, & illud magis: Ergo qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis, peccat.

Tertio, Actus virtualiter & implicite includens voluntatem moraliter malam, est malus: Sed dolor de peccatis ex metu gehennæ, includit voluntatem moraliter malam; nam implicite & virtualiter includit hunc affectum, peccata non deestituti, si nulla esset eis imposita poena: Ergo talis dolor malus & vituperabilis est.

Quarto, Ordinare majus bonum ad minus bonum, malum ac vituperabile est, cum in eo fiat injuria majori bono, quod ordinatur ad minus: Sed ille qui dolet de peccatis propter dolorem gehennæ metum, ordinat minus bonum, scilicet vitiationem poenæ, ad majus bonum, nempe vitiationem culpæ: Ergo male agit, & peccat.

Quinto, Si timor servilis bonus sit, erit etiam bonus timor mundanus: At hic bonus non est, quippe qui homines malos facit: Ergo nec timor servilis, subindeque nec dolor ex illo proveniens.

Denique, Si attritio ex metu gehennæ esset bona & laudabilis, esset actus virtutis: Sed hoc dici nequit, ut innuit S. Thomas hic art. 2. ad 2. Ergo nec illud.

Resp.

36. Respondeo negando Antecedens, & ad primam illius probationem, concedo Antecedente, nego Consequentiam & paritatem; nam D. Augustinus dum ait quod si fur desinat furari ex eo quod videtur, peccati est conscius, supponit quod talis fur habeat intentionem furandi, & quod retineatur solum ab externa executione ex timore aliorum: qui autem detestatur peccatum propter penas inferni, non retinet amplius voluntatem peccandi; quia cum motivum illud ad omnia peccata se extendat, virtualiter omni peccato adversatur, & est virtualis dolor de omnibus peccatis.

Ad secundam, distingo Majorem: Actus quo quis magis dolet de pena, quam de culpa, faciendo illam expressam comparationem, & dicendo positivè, volo dolere magis de pena quam de culpa, malus est, concedo. Actus quo quis in re quidem magis dolet de pena quam de culpa, sed tamen nullam inter utrumque facit comparationem, est malus, nego. Similiter distingo Minorem: Qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis suis, magis dolet de pena quam de culpa, faciendo comparationem inter utrumque, nego Minorem. Absque comparatione inter utrumque, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Nam quando fit comparatio inter malum culpæ & malum pænæ, & tamen magis odio habetur illud quam illud, eo ipso malum pænæ præfertur malo culpæ, quod certè vitiosum est, quia perversum. At verò quando quis non faciendo comparationem inter utrumque, dolet de culpa propter pœnam, licet eo ipso magis doleat de pena quam de culpa, non tamen propterea malum pænæ præfert malo culpæ; quia actus ille doloris de culpa propter pœnam, non excludit quin homo simpliciter loquendo, & propter alias rationes, possit magis detestari culpam, quam pœnam; puta quia culpa magis contrariatur Deo, quam pœna. Unde falsum est, in illo actu virtualiter includi hunc affectum, peccata non detestari, si nulla eis esset imposita pœna; tum quia ille actus, ut diximus, non excludit positivè omne aliud motivum ad detestandum peccatum, sed tantum ipsum non includit. Tum etiam, quia in eo motivo non sistit ultimus affectus, sed tantum proximè; quare virtute tendit etiam ad Deum ut finem ultimum, sicut actus spei proximè & formaliter tendit ad Deum, ut bonum ipsi speranti; virtute autem & implicitè ad Deum secundum se. Per quod patet ad tertiam probationem.

Ad quartam distingo Majorem: Ordinare majus bonum ad minus bonum, ut ad finem ultimum, malum ac vituperabile est, concedo Majorem. Ordinare majus bonum ad minus bonum, tanquam ad finem proximum, nego Majorem. Deus enim ipse, ut supra dicebamus, interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris ordinis, ut cum Incarnationem & Passionem Christi, in nostram salutem & gloriam ordinavit. Similiter distingo Minorem: qui dolet de peccatis propter solum gehennæ metum, ordinat majus bonum ad minus bonum, tanquam ad finem proximum, concedo Minorem. Tanquam ad finem ultimum, nego Minorem & Consequentiam. Sicut ergo nulla est inordinatio vel peccatum, ordinare sacrificia & orationes ut media ad obtinendam sanitatem corporalem, vel aliquid aliud temporale; ita nec ordinare attritionem ad vitandam pœnam, tanquam ad finem

Tom. V.

A proximum, quamvis attritio sit quid perfectius vitiatione pœnarum. Solum ergo esset peccatum ordinare attritionem ad vitandam pœnam tanquam ad finem ultimum, quod faceret ille qui detestando peccato, propter pœnam, ita esset actualiter aut virtualiter affectus, ut si non essent pœnæ, nullo modo doleret de peccato; sed tunc talis dolor non esset attritio de qua loquimur.

Dices, Attritio non tendit in Deum ut ultimum finem: Ergo vitatio pœnarum est ultimus finis illius. Consequencia patet, Antecedens etiam ex eo constat, quod homo eliciens attritionem, non justificatur per illam, atque adeò semper manet in peccato, subindeque ad creaturam ut ad ultimum finem conversus, unde cum non possit habere plures ultimos fines, non tendit in Deum ut in ultimum finem.

Respondeo distinguendo Antecedens: Non tendit in Deum efficaciter, concedo, ineffaciter, nego. Ad probationem in contrarium similiter dico, non repugnare hominem habere unum ultimum finem, & ad alium ineffaciter tendere, ut in Tractatu de ultimo fine disp. 1. art. 6. §. 4. ostensum est; alioquin, ut ibi dicebamus, sequeretur opera moraliter bona hominis existentis in peccato mortali, puta elemosinam, vel jejunium, esse peccata mortalia; quia cum non tendant efficaciter in Deum ut ultimum finem, creaturam pro ultimo fine haberent.

Ad quartam principalis Antecedentis probationem, nego sequelam Majoris, nam timor mundanus est timor creaturæ, affectu cujus non veretur homo offendere Deum: timor verò servilis est timor Dei, quem timet offendere metu pænæ quam peccatis infligit; quo fit ut ille non tollat affectum peccandi, sed potius sit causa peccati; iste verò tollat peccatum & affectum peccandi.

Ad sextam nego etiam sequelam Majoris, attritio enim, licet bona, non est tamen actus virtutis, sicut contritio; tum quia non facit hominem bonum simpliciter, sed tantum secundum quid, cum sit ante gratiam & charitatem; tum etiam, quia non est sicut contritio, detestatio peccati perfecta, nec consequenter dispositio perfecti ad optimum. Nec obest si dicas, quod actus fidei & spei sic se habent, & tamen sunt actus virtutum. Nam licet fides & spes sint via ad majorem perfectionem, sunt tamen perfectæ in sua linea; fides quidem, ex eo quod sit cognitio, quæ nulla certior; spes, ex eo quod sit tendentia in beatitudinem, quæ nulla securior & firmior; attritio verò non est dolor de peccato, quo nullus major sive perfectior.

§ III.

Alia difficultas resolvitur.

Dico secundò, attritionem ex metu gehennæ, esse dispositionem sufficientem ad justificationis gratiam in Sacramento penitentiae obtinentiam. 37.

Probatur primò ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi aperte nostram conclusionem docet, nam postquam circa medium capitis divisit contritionem in perfectam, quæ ex charitate procedit, & imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, subdit, illam non solum non facere hominem hypocrisis.

D d d iij

poci-

critam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adiutus viam, sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Penitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat (sicut facit contritio perfecta) tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae impetrandum disponit. Quibus verbis Sancta Synodus inter utramque contritionem duplex assignat discrimen. Unum quod attritio tendit in peccatum ex motivo inferiori, quam contritio perfecta; nimirum ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennae, non autem ex consideratione Dei summe dilecti propter se. Alterum quod contritio perfecta per se sufficit ad iustificationem obtinendam, id est sine sacramento, cum solo illius voto; attritio vero disponit quidem ad illam in sacramento impetrandam, sed sine sacramento reipsa percepto non sufficit.

38 Respondent primò Adversarii. Concilium ibi non loqui de dispositione ultima sufficiente cum sacramento, sed de dispositione remota, & insufficiente.

Sed contra primò: Concilium ibi docet attritionem ex gehennae metu, si voluntatem peccandi excludat, ad iustificationis gratiam in Sacramento Penitentiae obtinendam, eodem modo disponere, quo contritio, priusquam hoc sacramentum suscipiatur, ad eam disponit: Sed contritio ultimò & sufficienter disponit ad gratiam iustificationis extra sacramentum obtinendam; Ergo Tridentinum intendit attritionem simili modo, id est proximè & sufficienter, in sacramento dispere ad iustificationem.

Contra secundò: Ex Tridentino attritio aliter in sacramento & aliter extra sacramentum ad iustificationem disponit: Sed extra sacramentum remotè & insufficienter ad iustificationem disponit, quando aliquis ab illa ad contritionem perfectam ascendit: Ergo ex Tridentino in sacramento proximè & sufficienter disponit ad iustificationem.

39 Respondent secundò, Concilium cum ait attritionem in sacramento ad iustificationem disponere, non loqui de illa attritione quæ est ex metu poenarum, sed illa quæ est ex amore Dei super omnia, licet imperfecto, sive de illa quæ est verè & essentialiter contritio, quamvis imperfecta; illam enim attritionem (inquit Sylvius) vocat idem Concilium contritionem licet imperfectam.

40 Verum hæc interpretatio apertè repugnat Concilio, & ab ejus mente prorsus aliena est. Primò, quia Concilium de illa attritione, quam ad Dei gratiam in sacramento penitentiae impetrandam disponere asserit, ait quod illa vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae & poenarum metu concipitur: Ergo non loquitur de attritione quæ est ex amore Dei imperfecto & inchoato, sed de illa quæ est ex metu poenarum.

41 Secundò, De illa attritione loquitur Concilium, de qua statim ibidem ait, non facere hominem hypocritam, sicut docuerat Lutherus: Sed attritio quam docuerat Lutherus facere hominem hypocritam, non erat illa quæ procedit ex charitate imperfecta & inchoata, sed ea quæ ex solo metu poenarum oritur, ut constat ex dictis §. 1. Ergo de ista duntaxat loquitur Tridentinum loco citato.

A Tertiò, Concilium ibidem ait attritionem illam quæ ad iustificationem in Sacramento Penitentiae obtinendam disponit, esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, non aditus quidem inhabitantis, sed animam moventis: Atque etiam, est impulsus Spiritus Sancti iam inhabitantis animam; inhabitat enim Spiritus Sanctus animam per gratiam: charitas autem, quantum debilis & remissa, nunquam est sine gratia: contra patet: Ergo idem quod prius.

Quartò, De eadem attritione subdit statim Concilium; Et quamvis sine Sacramento Penitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae impetrandam disponit: Sed nulla est contritio ex charitate, sive ex amore Dei super omnia, quantumvis imperfecto & remissa, qui non possit etiam extra sacramentum perducere peccatorem ad iustificationem, cum sit essentialiter ultima dispositio ad eam: Ergo non loquitur Concilium loco citato de illa contritione, sed de attritione quæ est præciue ex metu poenarum.

Demum Concilium postquam dixit attritionem esse actum bonum, & ex impulso Spiritus Sancti conceptum, atque ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae impetrandam disponere, in fine ejusdem capituli sic concludit: Quamvis falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Penitentiae absque bono motu suscipiendum, gratiam consequi: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nisi per. Atque Hæretici ex eo solum occasionem captarunt calumniandi Catholicos scriptores, quod existimarent attritionem quæ est ex metu poenarum non esse actum bonum, sed malum, atque reddere hominem hypocritam: Ergo attritionem conceptam ex metu gehennae & poenarum docet Concilium disponere ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae obtinendam. Et ratio sic argumentatur: Attritio concepta ex metu gehennae, est actus bonus: Ergo gratia non confertur in Sacramento penitentiae sine actu bono suscipiendum; etiam tunc quando sacramentum recipitur cum sola attritione. Atque ita Catholici scriptores qui dicunt gratiam conferre in Sacramento Penitentiae cum sola attritione, non propterea tradunt conferri gratiam in tali sacramento absque bono motu suscipiendum, ut quidam calumniantur. Certè si ultra attritionem requireretur contritio ad gratiam in Sacramento Penitentiae obtinendam, non erat quod Concilium probaret attritionem esse actum bonum, ut inde inferret Sacramentum Penitentiae non conferre gratiam sine bono motu suscipiendum, sufficit enim ad hoc inferendum quod contritio perfecta sit actus bonus, si Sacramentum Penitentiae non potest sine illa gratiam conferre, ut rectè observavit Ante-Janſenius disp. 19. sect. 8.

Ad id verò quod subdit Sylvius, nempe Concilium attritionem illam quam dicit ad gratiam in Sacramento Penitentiae obtinendam disponere contritionem imperfectam appellare. Respondet P. Nicolai in Scholiis ad quest. 9. Supplementi art. 2. quod non appellatur imperfecta Janſeniano sensu, propter defectum gradus tantum; sed puer vir imperfectus dicitur, quia totam perfectionem viri nondum habet; sed imperfecta vocatur, propter defectum essentialis contritionis in qua charitas actu includitur, sicut vir imperfectus.

fectus embrio est, quia essentiam humanam nondum habet, sed est dispositio ad illam habendam.

§. IV.

Duplici ratione conclusio nostra suadetur.

64 Prima sumitur ex institutione & natura Sacramenti Poenitentiae, quod cum sit Sacramentum mortuorum, ad causandam primam gratiam institutum est: Sed Sacramentum ad causandam primam gratiam institutum, non exigit subiectum per contritionem dispositum: Ergo attritio est dispositio sufficiens ad Sacramentum Poenitentiae. Major constat, tum ex Conciliis & Patribus, à quibus duo mortuorum Sacramenta assignantur; alterum regenerativum, nempe baptismus; alterum reparativum, scilicet poenitentia; tum ex forma huius Sacramenti, quae gratiam peccatorum remissionem significat. Minor verò probatur. Sacramentum institutum ad causandam primam gratiam, debet aliquando eam causare: Sed si necessaria esset contritio ex parte subiecti, nunquam illam causaret; quia praesupponeret illam semper causatam ex vi ipsius contritionis, quae, ut supra disp. 3. contra Bajum ostendimus, est ultima & infallibilis dispositio ad gratiam & peccatorum remissionem, etiam extra Sacramentum, obtinendam: Ergo Sacramentum ad causandam primam gratiam institutum, non exigit subiectum per contritionem dispositum.

47 Confirmatur & magis illustratur haec ratio ex S. Thoma 3. p. quaest. 80. art. 4. ad 2. hoc Sacramentum est institutum ut medicina ad tollendum peccatum: At medicina non supponit morbum sublatum, sed tollit: Ergo poenitentia non supponit peccatum per contritionem sublatum, sed illud tollit. Unde qui dicunt contritionem esse dispositionem necessariam ut absolutio recipiatur, & Sacramentum Poenitentiae operetur in nobis remissionem peccatorum, illius naturam prorsus ignorant, idemque asserunt ac qui diceret, medicinam aliquam à prudente aliquo & perito medico institutam fuisse ad tollendum genus morbi, quod nunquam ipsa tolleret, sed semper & necessario sublatum esse praesupponeret; quod plane ridiculum & absurdum est, & Christi sapientia Sacramentorum institutoris prorsus indignum. Illi etiam coguntur asserere, Sacerdotem absolventem à peccatis, ea non remittere, sed illa esse jam remissa solum declarare; quod prorsus erroneum esse patebit infra, cum de absolutione Sacramentali agemus. Unde merito Facultas Parisiensis duas Seguenoti assertiones hac censurâ notavit 1. Junii anno 1638. *Quae tradit de attritionis insufficiencia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum Sacramentum poenitentiae, & quae addit & approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio iuridica peccati iam remissi; damnavit quoque Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi & omnino tutae praxi Ecclesiae contrarias, efficacia Sacramenti imminutivas, & insuper temerarias, ac erroneas.*

48 Confirmatur amplius Sacramentum poenitentiae, juxta commune Theologorum axioma, facit ex attrito contritum: At si subiectum per contritionem dispositum exigeret, nunquam faceret de attrito contritum, sed tale semper supponeret: Ergo ad Sacramentum poenitentiae non

A requiritur contritio, sed sufficit sola attritio, quae adjuncta absolutione sacerdotali, contritioni aequivalet, & tam bene confert gratiam & remissionem peccati, quam ipsa contritio.

49 Secunda ratio sumitur ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim vera esset opinio Jansenii, & aliorum existimantium, attritionem non esse sufficientem dispositionem ad justificationis gratiam in Sacramento poenitentiae obtinendam, sed hoc Sacramentum exigere necessario contritionem in poenitente, Sacramentum poenitentiae, quo lex gratiae praestat antiquae, non esse beneficium. nec medium efficax, quo impedimenta ad salutem semoverentur, sed onus lege antiqua gravius; non enim asferret facilitatem assequenda remissionis peccatorum, sed potius eam longè difficiliorem redderet; nam cum in lege veteri, ad eam obtinendam solus actus contritionis sufficeret, nunc ulterius requiritur confessio omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum, secundum speciem & numerum & circumstantias, saltem mutantes speciem; quo onere nullum in lege nova gravius ac difficilius est plerisque Christianorum.

50 Ut ab his argumentis sese expediant Adversarii, distinguunt duplicem contritionem; unam perfectam, ad quam necessario requiritur charitas actualis perfecta; aliam imperfectam, ad quam non requiritur necessario charitas actualis perfecta, sed sufficit inchoata & imperfecta; adduntque primam contritionem habere vim excludendi peccatum per se solam, & sine Sacramento, non vero sacramentum. Ita Jansenius lib. 5. de gratia Christi Salvatoris cap. 34.

51 Verum haec solutio & doctrina facile potest convelli. Primò quia distinctio huius duplicis contritionis nullum habet fundamentum sive in Scriptura, sive in Conciliis, aut Patribus, sed potius repugnat Tridentino supra citato, asserenti contritionem perfectam à charitate procedere; imperfectam verò, ex gehennae metu, aut turpitudinis peccati consideratione oriri; unde, juxta Tridentinum, nulla datur contritio imperfecta ex charitate procedens.

52 Secundò, Adversarii hac distinctione duplicis contritionis, non possunt se tueri vel expedire ab inconvenientibus quae adduximus, neque salvare quod Sacramentum Poenitentiae ex sua natura & institutione habeat causare primam gratiam, & reddere hominem de attrito contritum. Si enim exigit subiectum per contritionem aliquam & charitatem inchoatam & imperfectam dispositum, nunquam remittit peccata, sed ea semper per talem contritionem & charitatem imperfectam remissa supponit. Nam quaecumque charitas, quantumvis parva, & remissa, omne peccatum mortale excludit, & cum eo impossibilis est, ut colligitur ex D. Thoma 3. p. quaest. 70. art. 4. in corp. ubi sic ait: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & vitare omne peccatum mortale quod committitur in transgressione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti.*

53 Ratio etiam suffragatur: Nam de ratione & essentia charitatis est, quod sit inclinatio in Deum tanquam in ultimum finem, unde nulla potest dari charitas quantumvis parva & remissa, quae hominem non inclinet & convertat in Deum tanquam in finem ultimum, subindeque quae non exclu-

excludat omne peccatum mortale, per quod homo à Deo ut ab ultimo fine avertitur; alioquin idem homo simul esset conversus & averfus à Deo ut ultimo fine, quod implicat.

§. V.

*Convehuntur præcipua fundamenta Ian-
senii.*

54. **O**bjicit primò Jansenius contra præcedentem conclusionem: Dolor qui sufficienter disponit ad justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, debet esse supernaturalis, & ex gratia Christi Salvatoris: Sed attritio ex metu gehennæ non est supernaturalis; licet enim timor gehennæ ex quo procedit, supponat fidem, ipsa tamen supposita, ex naturalibus voluntatis viribus pullulare potest. Quid est enim (inquit) timor gehennæ, nisi timor cruciatuum, quibus post hanc vitam, naturalis corporis atque animi constitutio, integritas, & salus tollitur; quam sicut omnis homo naturaliter diligit, simul atque sibi vel divinâ fide, vel humanâ opinione vitam aliquam corporis atque animæ futuram esse persuaserit; ita quoque naturaliter violationem eius per dolores atque cruciatu exhorrescat. Nihil enim vetat ex supernaturali aliqua cognitione præeunte, naturaliter aliquos timores, tristitiaque sequi, dummodo obiectum eorum naturalis ordinis fuerit. Similiter timor gehennæ non est ex gratia Christi Salvatoris: Nam ista gratia (inquit) effectum prorsus oppositum in voluntate facit: est enim inspiratio cœlestis delectationis, quâ Deus incipit dulcescere, quem timet; quâque dulcedine perfusus animus, iam non formidine pœnæ: sed iustitiæ dilectione, operatur bonum &c. Ergo attritio ex metu gehennæ non est dispositio sufficiens ad justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam.

55. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; ad timorem enim pœnarum inferni, qui sit efficax ad retrahendum affectum à peccato, qualis est ille omnis quem vera attritio ob pœnas inferni importat, necessaria est specialis gratia ex parte voluntatis, distincta à gratia fidei ex parte intellectus. Hoc enim manifestè colligitur ex Concilio Arausicano 2. can. 6. dicentē heretico falli spiritu eum qui dicit, per naturæ vigorem, bonum aliquod, ad salutem pertinet vita æterna, cogitare ut expedit, aut eligere nos posse, absque illuminatione & inspiratione spiritus sancti. Cum ergo timor ille de quo loquimur, sit bonum aliquod ad salutem vitæ æternæ pertinens, planum est, illum non posse concipi per solum naturæ vigorem, sine illuminatione & inspiratione spiritus sancti, hoc est sine gratia Christi propriè dicta, de qua sine dubio loquitur Arausicanum, quippe de qua erat illi controversia cum Semipelagianis, quos ibi damnat. Unde Tridentinum, sess. 6. cap. 5. ait ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Iesum Christum præveniente gratiâ sumendum esse. Et cap. sequenti inter actus quibus pœnitens ad justificationis gratiam se disponit, numerat actum fidei, & actum timoris divine iustitiæ, quo utiliter concussi peccatores, ad considerandum Dei misericordiam se convertant. Ergo ex Tridentino timor ille est ex gratia Christi Salvatoris. Falsum ergo est quod ait Jansenius, veram Christi gratiam non esse aliam nisi delectationem charitatis; non enim solum desiderio aut delectatione boni, sed etiam amore mali Deus nos à peccatis retrahit; imò

ut ait Augustinus lib. de catechizandis rudibus cap. 5. Rarissime accidit, imò vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non aliquo timore Dei percussus.

Objicit secundo Jansenius: Ille actus non sufficit ad dignè suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, qui non tollit affectum ad peccatum attritio ex metu gehennæ non tollit affectum ad peccatum; Nam timor ille (inquit) manus quædam coercet, ne homines faciant malum, atque male faciendi voluntatem intus vigentem, tunc in opere quoque sese proderet, si pœna comminata tolleretur. Unde Augustinus lib. 9. in Epist. Joan. peccatores ita timetis, ut à peccato ex tali metu abstinentes, compuncti adulteræ, quæ habens animum adulterandi, abstinet solum ab opere, timens ne à marito deprehendatur, & severè puniatur: vel lupus invadente ovile, & metu canum & pastorem recedens, sine præda quidem, sed non sine affectu occidendi, si potuisset: Lupus enim venit, & ovem reddit: venit fremens, & redit tremens: Lupus tamen & tremens & fremens, ut ait eum 19. in verbis Apostoli cap. 9.

Duplicem verò ait Jansenius esse huius doctrinæ radicem, prima est, quia quoniam timor pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnante fugit, ideoque non fugit peccatum, sed aliud quippiam. Nam ex sententia omnium philosophorum, quæ purè aguntur ex metu, sunt involuntaria secundum quid, sive mixta involuntario & involuntario; ex quo hic, ut quid quid facit ex metu, istum voluntatis actum conjunctum habeat, Nolle hoc facere, cuius impendentis metu urgeret: verbi gratia nator, qui ex metu naufragii merces projecturum re, retinet voluntatis repugnantis repugnantiam, quâ nolle id facere, si periculum tolleretur.

Altram radicem ait esse, quia timor pœnæ non potest mutare voluntatem malam, sed solum amor iustitiæ: Impossibile est (inquit) tam peccandi voluntate detineretur, solo pœnæ timore mutare voluntatem; sed hoc proprium officium est claritatis, quâ animus à peccati tanquam purgati dilectione, ad iustitiæ dilectionem transferatur. Timor enim pœnæ premis, non exaurit cupiditatem, continet manum, non animum, qui eadem modo si non timeret, peccato alicui affixus manet: Ergo &c.

Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: Tridentinum enim supra citatum, manifestè supponit aliquem esse timorem pœnarum de gehennæ, qui voluntatem peccandi excludit: cit enim, illam contritionem imperfectionem, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudine peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, non spe ventæ, non solum non facere bonum hypocrisis, & magis peccatorem, verum etiam damnari Dei esse &c. Quibus verbis, si voluntatem peccandi excludat, manifestè insinuat, vel supponit, talem metum, talemque attritionem ex illo conceptam dari posse, quæ tollit effectum ad peccatum. Ad primam probationem in copertarium ex Augustino desumptam, dico S. Doctorem locis citatis loqui de timore propter pœnas, quarum fugam sibi proponit, metuens, tanquam finem ultimum, qualiter tamen non est ille quem importat vera attritio; fugam enim pœnarum inferni non sibi proponit peccator

miens in illo actu tanquam ultimum finem, sed solum tanquam finem proximum, quia non excludit positivè ulteriorem relationem ipsius ad Deum, sed merè negativè sive præcisiivè quoad hoc se habet.

Ad secundam probationem respondeo, non semper ea quæ sunt ex metu esse mixta ex voluntario & involuntario, sed solum quoties voluntas in contrarium aliquo modo fertur, vel per actum volitionis inefficacis illius quod facit ex metu, vel per actum amoris inefficacis illius quod reijcit ex metu: unde cum regulariter Christiani doleant de peccato, ex solo metu inferni, absque aliquo actu amoris ad peccatum, & absque actu volitionis talis doloris, non est actus attritionis de peccatis quem habent, ullo modo involuntarius.

Ad tertiam probationem nego, timorem penæ non posse mutare voluntatem, sed solum amorem iustitiæ, qui est propius charitatis; nam licet timor aliquis sit eiusmodi quod amorem rei deserenda secum admittat, & in voluntate simul vivere patitur; datur tamen alius, qui omnem rei prius dilectæ amorem, omnemque affectum ad peccatum prorsus excludit, ut patet ex Tridentino citato, & expressè docetur ab Augustino serm. 214. de tempore, his verbis: *Cum timetur pena quam Deus minatur, discitur amari primum quod pollicetur, ac sic per timorem penæ, bona vita retinetur; per bonam vitam, bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pena timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus. Et in Psal. 127. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur. Audiunt hæc homines, & quia vere futura sunt impiis, timeant, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato.*

Obijcit tertio Jansenius: Licet dolor de peccatis ex timore gehennæ secundum se sit bonus, si tamen qui eum habet, in eo, vel in amore sui ex quo provenit, ultimo quiescat, eo ipso redditur malus, & consequenter nequit esse dispositio ad dignè & fructuosè suscipiendum Sacramentum penitentiae: Sed attritio ex metu gehennæ sic se habet, cum enim sit dolor de peccatis, tantum propter penas inferni, qui eam habet, in tali timore, sive in puro sui amore, ultimo quiescit: Ergo per illam nequit homo ad gratiam justificationis in Sacramento penitentiae obtinendam se disponere.

Respondeo eū qui dolet de peccatis solū propter penas inferni, dupliciter in amore sui ex quo dolor ille nascitur, posse ultimo quiescere; primo positivè & contrariè, excludendo nimirum relationem talis amoris & sui ipsius in Deum; secundo negativè tantum, sive præcisiivè, non referendo illum amorem, & actum doloris de peccatis ex eo provenientem, in Deum. Qui primo modo dolet de peccatis, fateor quod illum actum de se bonum vitæ, opponendo ei pravam circumstantiam, sed nego quod penitentem de peccatis secundo modo, qualis est qui veram attritionem de illis habet propter solum gehennæ metum, sic se habeat, atque ita malè operetur.

Obijcit quarto: Tridentinum multis in locis evidenter significat, nunquam justificationis gratiam, sive extra Sacramentum, sive in Sacramento penitentiae, adultis dari, nisi contritio antecedat: nam sess. 14. cap. 3. docet materiam Sacramenti penitentiae esse contritionem, eamque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Et can. 4. damnatos anathemate, qui negaverint contritionem, confessionem, & sa-

Tom. V.

tisfactionem, esse tres partes penitentiae. Item ibidem cap. 6. dicit eum cui nulla adest contritio, non verò absolvi in Sacramento penitentiae; quod tamen falsum esset manifestè, si attritio sufficeret ad dignè suscipiendum illud Sacramentum: Ergo ex Tridentino sola attritio non sufficit ad justificationis gratiam in Sacramento penitentiae obtinendam.

Respondeo Conciliū iis locis loqui de contritione generatim sumpta, pro eo quod commune est contritioni & attritioni; non verò de contritione specialiter sumpta pro eo dolore qui distinguitur ab attritione, & est propter Deum summe dilectum. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, ex eo patet, quod Concilium ibidem cap. 4. dividit contritionem in perfectam, & imperfectam, quæ attritio dicitur, istamque ait, ad Deigratiam in Sacramento penitentiae impetrandam disponere, quod de dispositione ultima intelligendum esse, supra §. 3. ostensum est.

Obijciunt quinto Adversarii alium Tridentini locum, desumptum ex sessione 6. cap. 6. ubi loquendo de dispositionibus ad justificationem, disertis verbis pronuntiat, dispositi hominem ad justitiam, non tantum per actus fidei, timoris, & spei, sed etiam dilectionis ex qua nascitur odium peccati, per propositum novæ vitæ, ac denique observationis mandatorum divinatorum. In spem eriguntur (inquit Concilium) fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea morantur adversus peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. Ubi Concilium ad justificationem quæ fit per Baptismum, dilectionem inchoatam requirit, ut constat ex illis verbis, illumque tanquam iustitiæ fontem diligere incipiunt: unde cum non minor requiratur dispositio ad justificationem quæ fit per penitentiam, quam ad illam quæ fit per Baptismum, ex illo Tridentini testimonio manifestè constare putant Adversarii, ad justificationem quæ fit per penitentiam, charitatem inchoatam & imperfectam necessario requiri.

Verum hæc parum urgent, si enim hic Tridentini locus attentè perpendatur, manifestum erit, ibi sermonem esse de justificatione quæ fit extra Sacramentum, & per solum Baptismi votum & desiderium, ad quā non negamus actum contritionis & dilectionis requiri, sicut & ad illam quæ fit per votum penitentiae, quando tale Sacramentum in re & de facto suscipi nequit: unde illud testimonium cui præcipue nituntur Adversarii, nequaquam militat contra nostram sententiam, quæ solum affirmat ad justificationem quæ fit in Sacramento Baptismi & Penitentiae, sufficere attritionem de peccatis ex motivo aliquo supernaturali. Quod verò interpretatio nostra legitima sit, & ad mentem Tridentini, patet ex verbis illis, dum proponunt suscipere Baptismum &c., ex illis enim liquet, Concilium ibi non loqui de justificatione quæ fiat in actuali susceptione Baptismi, sed de illa solū quæ fit per votum & desiderium illius; quando nimirum aliquis non valens suscipere Baptismum, per actus fidei, timoris, spei, dilectionis, & per votum & desiderium ipsius Baptismi, ad justificationem se disponit.

Eodem modo intelligenda & explicanda sunt aliqua SS. Patrum testimonia, quibus asseritur, sine charitate neminem justificari: vel enim loquuntur de justificatione quæ fit extra Sacramentum

Ecc

mentum

mentum; vel si de justificatione quæ sit in Sacramento fiat sermo, solum intendunt charitatem concomitantem ad justificationem requiri; quia nimirum licet dum peccator justificatur in Sacramento, non supponatur necessario diligens Deum super omnia, ex vi tamen Sacramenti constituitur talis, non actu, sed habitu, quia in eius susceptione charitas habitualis ei infunditur.

§ VI.

Corollaria præcedentis doctrina.

66. **E**X dictis confutata manet aliquorum sententia, qui asserunt, attritionem sufficere quidem ad valorem Sacramenti, non tamen ita ut ex ea sequantur immediate justificationem, sed quia vi Sacramenti penitens ex actu imperfecto attritionis transit infallibiliter ad actum perfectum contritionis, ut ad proximam dispositionem ad gratiam. Nam Tridentinum supra citatum non dicit attritionem esse sufficientem ad obtinendam contritionem, sed ad gratiam in Sacramento penitentia impetrandam disponere, quod de proxima dispositione intelligendum esse supra ostendimus; quia alioquin non bene compararet attritionem in Sacramento, cum contritione extra Sacramentum. Adde quod, Concilium loquitur de impetratione ineffabili, qualis est illa quæ habetur per Sacramentum. At omnis qui cum attritione accedit ad Sacramentum, non elicit infallibiliter actum contritionis, ut experientia constat, plures enim cum sola attritione ad Sacramentum accedentes, post absolutionem à peccatis, majorem de illis dolorem non sentiunt quam antea: Ergo &c.

67. Refellitur etiam ex dictis aliorum opinio, qui existimant requiri ad hoc Sacramentum attritionem quæ existimetur contritio. Nullus enim tenetur ad Sacramentum accedere cum majori dispositione quam de facto requiratur, ut patet in Baptismo, Eucharistia, & aliis Sacramentis. Sed re ipsa sola attritio requiritur ad Sacramentum penitentia, ut supra ostensum est: Ergo non est necessaria puta contritio, sed sufficit attritio etiam cognita & putata attritio.

68. Confirmatur: Si ad hoc Sacramentum necessaria esset attritio existimata contritio, illud non esset Sacramentum mortuorum, quia homini sibi conscio peccati mortalis nunquam liceret ad illud accedere, sed semper requireretur quod existimaret se esse vivum per gratiam.

69. Confirmatur amplius: Illa existimatio falsa ad hoc solum potest deservire, ut homo succedendo ad hoc Sacramentum cum sola attritione, excusetur à transgressione præcepti: At nullibi extat præceptum de non accedendo ad hoc Sacramentum cum sola attritione: Ergo non requiritur quod attritio existimetur contritio. Major patet, cum enim existimatio illa sit error, non potest esse dispositio, vel per se conducere ad disponendum hominem ad gratiam: Ergo ad hoc solum potest deservire, ut homo accedendo cum sola attritione, excusetur à transgressione præcepti. Minor verò suadet, quia tale præceptum nullibi habetur, neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus, neque in Traditione, neque ex ipsa hujus Sacramenti institutione colligitur, imò potius oppositum; cum enim hoc Sacramentum sit institutum ad conferendam primam gratiam, ac propterea Sacramenta mortuorum appellerentur, verisimile non est, Christum voluisse nos obligare ut ad illud accederemus cum contritione putata. Adde quod, si Christus po-

nitentem obligaret ad contritionem putatam, obligaret ad falsum, cum talis existimatio falsi sit, ac difformis objecto: Sed hoc dici nequit. Ergo nec illud.

Demum ex supra dictis colligitur, præceptum confessionis in lege Evangelica, successisse præcepto contritionis, non illud abrogando, sed in seipsum commutando, ita ut præceptum confessionis non obliget, quando præceptum contritionis servari potest. Pater hoc corollarium ex Tridentino loco supra §. 13. citato, ubi dicitur quod contritio quæ charitate perfecta à homine re. ouciliat Deo, prius quam Sacramentum penitentia actu suscipiatur, omni tempore necessaria ad impetrandam veniam peccatorum. attritio verò, quæ per se peccatorem ad justificationem perducere nequit, cum ad Dei gratiam in Sacramento penitentia impetrandam dispare. Quibus verbis non obscure innuitur, contritionem perfectam, quæ peccatorem etiam sine Sacramento actu suscepto justificat, necessariam fuisse ante institutionem Sacramenti penitentia, eique in lege nova successisse attritionem, quæ cum Sacramento penitentia præstat quod antea præstabat contritio.

ARTICULUS IV.

Qualis requiratur attritio ad effectum hujus Sacramenti?

Dico primò, ad effectum hujus Sacramenti requiritur attritio vera, & non sufficiens apprens seu existimata.

Probatur breviter: Attritio est materia hujus Sacramenti, sicut aqua est materia Baptismi: Sed ad valorem Baptismi requiritur vera aqua, & non sufficit apprens seu existimata: Ergo patet ad valorem & effectum Sacramenti penitentia necessaria est vera attritio, & non sufficit apprens seu existimata. Ex quo inferes, falsam esse aliorum Casuistarum sententiam, qui docent ad hoc Sacramentum sufficere posse voluntatem confitendi, & recipiendi absolutionem, ab omni homini dolore, dummodo penitens nullum actum habeat quo formaliter vel virtualiter adheret peccato: voluntas enim confitendi, & recipiendi absolutionem, præcisè sumpta, non est vera attritio.

Dico secundo, ad recipiendum effectum hujus Sacramenti, necessaria est attritio supernaturalis, quæ revera fit talis unde non sufficit attritio naturalis, quæ supernaturalis existimatur.

Prima pars probatur tum ex Tridentino scilicet cap. 4. dicente attritionem quæ peccatorem disponit ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam, esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus: quæ non conveniunt attritioni naturali. Tum etiam ratione fundamentali: Attritio enim ad hoc Sacramentum requiritur potest considerari, vel ut remotio peccati, vel ut dispositio ad gratiam: Sed quocumque ex his duobus modis consideretur, debet esse supernaturalis. Ergo &c. Major quoad secundam partem evidens est, quia dispositio debet ejus esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit. Probatur verò quantum ad primam: Attritio enim ut est remotio peccati, debet retrahere omnem eversionem quam per peccatum peccator contraxit; unde cum in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, homo per peccatum avertitur à Deo non solum ut à fine naturali, sed etiam supernaturali, illius retrahatio debet esse aliquo modo conversio ad finem etiam supernaturalem, subindeque supernaturalis.

73 Ex his probata manet secunda pars, cum enim attritio supernaturalis sit dispositio necessaria ad recipiendum effectum huius Sacramenti, ut iam ostensum est, hinc fit quod quantumcumque quis existimet se habere attritionem supernaturalem, si tamen revera illam non habeat, non sit sufficienter dispositus. Atqui Sacramenta non conferunt gratiam nisi sufficienter dispositis: Ergo, quantumcumque quis existimet se habere attritionem supernaturalem, si tamen illa careat, non recipit gratiam ex vi huius Sacramenti. Licet enim ei non ponat obicem positivè, quia propter ignorantiam invincibile excusatur, bene tamen negativè, quia caret dispositione necessaria.

Dices, Ille qui habet attritionem naturalem, B
74 habet motum contrarium peccato, scilicet aliqualem ejus detestationem: Ergo est sufficienter dispositus.

Respondeo negando Antecedens, quia (ut supra dicebamus) peccatum avertit à Deo, etiam ut à fine supernaturali; attritio verò naturalis, non convertit in Deum ut finem supernaturalem, etiam imperfectè. Ex quo inferitur, motivum attritionis quæ ad recipiendum huius Sacramenti effectum disponit, debere esse supernaturalem; nec fatè esse ad effectum sacramentalem obtinendum, motivum naturale. Tum quia tale motivum assignat Tridentinum loco citato, ut scilicet concipiatur vel ex turpitudinis peccati consideratione (intelligit autem de turpitudine opposita alicui honestati supernaturali) vel ex gehennæ & pœnarum metu, nempe quatenus infligitur à Deo auctore supernaturali. Tum etiam, quia tale motivum est necessarium ad sufficienter retrahendum peccatum in hoc statu commissum. Ex quo inferes, dolorem de peccatis propter Deum auctorem naturæ elicitum, non esse sufficientem ad justificationis gratiam in hoc Sacramento obtinendam: tum quia talis dolor non est sufficiens ad tollendam aversionem à Deo ut auctore supernaturali: tum etiam, quia cum sit quoad substantiam naturalis, non est proportionatus & ejusdem ordinis cum gratia, subindeque non potest ad illam disponere, quia (ut supra dicebamus) dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit.

75 Dico tertio, Attritio sacramentalis debet esse universalis circa peccata mortalia commissa non tamen est necesse ut sit universalis circa venialia.

Ratio est, quia nullum mortale in hoc Sacramento remitti potest sine attritione, cumque nullum mortale remitti possit sine ceteris, necessarium sequitur attritionem ad hoc Sacramentum requisitam, debere esse universalem de omnibus mortalibus, è contra verò cum unum veniale remitti possit sine alio, hæc universalis attritio non est necessaria in confessione venialium, sed fat erit E
attritio de uno tantum, ne frustretur Sacramentum, quod pro materia essentialiter requirit dolorem.

76 Non desunt tamen aliqui Authores qui affirmant, accedere ad hoc Sacramentum sine attritione omnium venialium, saltem quæ clavibus subiciuntur, esse mortale. quia (inquiunt) qui non dolet de omnibus venialibus à se confessis, proponit pro materia Sacramenti aliquid, quod non potest esse illius materia: Ergo sicut graviter peccaret ille qui hostiam papyraceam proponeret cum triticeis ad consecrandum; sic ille qui proponit in confessione aliqua venialia, de quibus non dolet, peccat mortaliter.

77 Verum hæc sententia videtur nimis rigida, Tom. V.

adeoque improbabilis, sicut enim peccata venialia non tenemur confiteri, ita ea possumus sine debito dolore Sacerdoti manifestare, non ad petendam absolutionem de illis, sed ad maiorem nostri confusionem & erubescenciam, dummodo ad validitatem Sacramenti, de aliquo sufficientem dolorem afferamus. Unde ad probationem in contrarium, nego Antecedens, ille enim qui sine dolore aliqua venialia in confessione manifestat, ea non proponit pro materia Sacramenti, nec confitetur de illis propriè, sed illa potius inter confitendum exponit; quod ut diximus, licet facere potest ad sui confusionem vel humiliationem, vel maiorem sui notitiam Confessario dandam: sicut etiam potest habitus suos vitiosos proensiones naturales, & peccandi occasiones, ac tentationes sibi occurrentes, aliaque multa quæ peccata non sunt, nec materia absolutionis, exponere licet & laudabiliter. Ex quo patet disparitas ad exemplum quod adducitur, consecratio enim Eucharistiæ refertur solum ad transubstantiationem, & effectum Sacramenti, unde non potest proponi aliquid ut consecrandum, quod materia consecrationis non est, nec proinde hostiæ papyraceæ cum triticeis misceri, & ad consecrandum offerri. E contra verò confessio non solum refertur ad absolutionem à peccatis, sed etiam tendit ad medendum infirmitatibus penitentis, ad regimen conscientie, novæque vitæ custodiam, ut ait Tridentinum sess. 14. cap. 8. Ex quo fit quod in confessione aliqua peccata venialia declarari possint, quæ non proponuntur ut materia Sacramenti penitentiae; subindeque etsi penitens de ipsis non doleat, non peccat mortaliter, dummodo atteratur & doleat de aliis, ne frustreretur Sacramentum, quod pro materia habet dolorem, seu peccata cum contritione vel attritione confessa.

Dices, Ille qui non dolet de omnibus venialibus de quibus confitetur, reddit formam Sacramenti falsam, & Sacramentum irritum ex parte, quatenus frustrat illud virtute & effectu remissionis illorum: Ergo peccat mortaliter. 78

Respondeo negando Antecedens, quoad utraque partem: Licet enim aliquis non doleat de omnibus venialibus de quibus confitetur, non propterea reddit formam Sacramenti penitentiae falsam, quia sentus illius est, Absolve te à peccatis, quantum est ex me, secundum Christi institutionem, id est à peccatis quæ ritè confessus es cum sufficienti dolore & proposito. Neque etiam propterea Sacramentum est irritum ex parte, quia nihil deest quod sit necessarium ad illius valorem, quamvis non habeat tantum effectum quantum habere posset; quod non est contra reverentiam Sacramenti, neque malum per se, cum non teneamur accedere ad Sacramenta cum dispositione necessaria ad habendum effectum quantum habere possunt; puta accedere ad Eucharistiam cum summa dispositione, ut conferat gratiam, quantum conferre potest.

79 Ex dictis in hac conclusione intelliges, attritionem sufficientem ad gratiam justificationis in hoc Sacramento obtinendam, debere quidem omnem peccandi mortaliter voluntatem excludere, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. non tamen omnem affectum peccandi venialiter; quia nimirum licet gratia justificans nullum peccatum mortale compati possit, potest tamen simul stare cum peccatis venialibus, & cum affectu ad illa.

Dico quarto, attritionem sufficientem ad Sacramentum

eramentum poenitentiae, debere necessarium praecedere absolutionem, non tamen necessarium debere quoque praecedere confessionem.

80. Ratio primae partis est, quia absolutio sacramentalis est per modum sententiae judicialis, quae necessarium supponit accusationem rei: accusatio autem rei in hoc iudicio, integratur ex confessione & dolore poenitentis; cum enim sit iudicium voluntarium, & reconciliativum peccatoris cum Deo necessarium supponit utrumque, quia nec sine noticia peccatorum, potest Sacerdos poenitentem absolvere, nec sine cognitione doloris ipsum cum Deo reconciliare. Ex quo inferes, absolutionem datam sine praevia contritione vel attritione, esse invalidam, & confessiones ita factas esse necessarium repetendas.

81. Probatur etiam secunda pars ex communi praxi fidelium, nam poenitentes credunt se suo muneri satisfacisse, dummodo atterantur, vel conterantur ante absolutionem: Confessarii quoque post audita peccata, poenitentes excitant ad dolorem & propositum imposterum non peccandis; & antequam ipsis absolutionem impendant, eos hortantur, ut actum contritionis vel attritionis eliciant; quod frustra fieret, si contritio vel attritio, deberet necessarium confessionem praecedere.

ARTICULUS V.

An, & quo jure, teneatur ille qui est in peccato mortali, elicere actum contritionis, & quandomodo obliget tale praecceptum?

§. I.

Prima pars quaesiti duplici conclusione resolvitur.

Dico primò, speciali praeccepto tenentur omnes qui sunt in peccato mortali, actum contritionis elicere; in lege tamen nova, sufficit attritio cum Sacramento.

82. Prima pars probatur, nam ut recte annotavit S. Thomas 3. part. quaest. 85. art. 5. ad 2. recta ratio distat ex triplici capite debere nos peccati poenitere. Primò ex lege iustitiae, ut satisfaciamus quantum possumus pro injuria illata. Secundo ex lege charitatis erga Deum, quae nos obligat ad Deum amandum super omnia, ac detestandum quidquid illi displicet, atque ad ipsius amicitiam recuperandam, si per peccatum eam perdidimus. Tertiò ex lege amoris proprii boni, quae tenemur nostris spiritualibus necessitatibus subvenire, aeternamque animae nostrae ruinam vitare. Prior obligatio est ex vi praeccepti poenitentiae per se, aliae duae sunt ex praeccepto charitatis, & ex praeccepto spei, id est amoris boni nostri supernaturalis: Ergo omnes qui sunt in peccato mortali, actum contritionis elicere tenentur, speciali praeccepto.

83. Confirmatur: Omnes tenemur speciali praeccepto charitatis ad procurandam salutem spirituales proximo; in hoc enim fundatur praecceptum fraternae charitatis, & correctionis. Ergo à fortiori ad procurandam salutem spirituales nobis, quia arctiori vinculo tenemur nostram quam proximi salutem procurare. At contritio est necessaria ad salutem omnibus qui sunt in peccato mortali; quia salus nostra consistit in perfecta reconciliatione cum Deo, ad quam ne-

cessaria est contritio: Ergo speciali praeccepto tenentur omnes qui sunt in peccato mortali, actum contritionis elicere.

Secunda pars patet ex dictis supra art. 7. ostendimus in lege nova attritionem cum Sacramento aequivalere contritioni, & reddere hominem de attrito contritum: unde si ille qui est in peccato mortali possit suscipere Sacramentum poenitentiae, & justificari ac reconciliari Deo per attritionem, cum Sacramento, non obligatur ad contritionem, nisi forte in articulo mortis, de quo infra.

Dico secundò, praecceptum contritionis non esse tantum positivum, id est à sola Deo libera voluntate profectum, sed etiam naturale, iure ipsi naturali obliget. Ita D. Thomas 3. part. quaest. 84. art. 7. ad 1. ubi ait, *De iure naturali esse quod aliquis poeniteat de malis quae fecit*, Et quaest. 86. art. 6. ad ultimum, dicit poenitentem esse de iure naturali.

Ratio etiam id suadet. Primò quia iure naturali tenetur quisque satisfacere quantum potest pro injuria alteri illata: Ergo multo magis tenetur peccator per contritionem Deo satisfacere pro injuria quam peccando ipsi intulit. Secundo, quia sicut iure naturali tenemur jus divinum illatum servare, ita & laesum, quoad fieri potest, per poenitentiam reparare. Tertiò, quia sicut iure naturali tenemur amare Deum, ita & ejus amicitiam conservare, ac recuperare, quando illam per peccatum mortale amisimus. Denique quia iure naturali tenetur homo amare proprium bonum, ac proinde se liberare à tantomalo, quantum est peccatum, & aeternae damnationis periculum.

§ II.

Obiunguntur obiectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Praeccepto speciali opponitur speciale peccatum: Atqui finalis impenitentia quae opponitur poenitentiae seu contritioni, non est speciale peccatum, sed tantum quadam circumstantia peccati illius, in quo peccator permanet, atque perseverat: Ergo non datur speciale praecceptum de poenitentia seu contritione.

Respondetur, impenitentiam finalem intelligi posse duplicem, Prima, quae est sola & modo in peccato permanentia seu continuatio, abstinendo ab eo quod peccator nolit de eo continere actum positivo contritionis, formali, vel virtuali, & haec est impenitentia finalis improprie dicta, quae non importat malitiam specie distinctam a malitia peccati quod continuatur, sed solum circumstantiam temporis, quae accidentariò tantum arguet peccati malitiam. Secunda est, quae ultra permanentiam in peccato, dicit formalem vel saltem virtuale propositum voluntatis, nunquam poenitendi; & haec est speciale peccatum, oppositum speciali praeccepto contritionis. Solutio est D. Thomae in 2. dist. 43. quaest. 1. art. 3. ad 3. ubi ait: *Sicut perseverantia dicitur dupliciter. Uno modo est virtus specialis, prout dicit propositum perseverandi in bono incepto usque ad finem. Et alio modo est circumstantia aliarum virtutum, quae ad mortem, ita etiam & impenitentia, secundum quod dicit propositum non poenitendi. Et species peccati in Spiritum Sanctum: secundum autem mortem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati poenitentiam, si est actus*

dens & circumstantia aliorum peccatorum

88. Obijcies secundò: Non sunt multiplicandæ obligationes sine necessitate: Atqui nulla est necessitas inducendi specialem obligationem ad eliciendum actum contritionis; satis enim est, si homo doleat de peccatis commissis ex motivo charitatis: Ergo non debet admitti speciale præceptum penitendi, & eliciendi actum contritionis, supposito quod incidamus in peccatum mortale.
89. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ratio enim naturalis dicitur, dolendum esse de peccato, non solum ut opponitur bono divino, quod pertinet ad charitatem, sed etiam in quantum lædit jus divinum, & ad illud detestandum, quatenus est offensæ Dei, quod spectat ad penitentiam, & per actum contritionis adimpletur.

90. Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Omnia præcepta naturalia continentur in præceptis Decalogi, vel formaliter, vel virtualiter: Sed præceptum contritionis neutro modo continetur in præceptis Decalogi; non quidem formaliter, ut constat evidenter ex eorum inductione; nec etiam virtualiter, cum per evidentem consequentiam ex nullo eorum possit inferri esse contritendum de peccatis: Ergo præceptum contritionis non est naturale.

91. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, præceptum enim contritionis continetur virtualiter in primo Decalogi præcepto; ex hoc enim quod quis tenetur Deum colere, tenetur ex consequenti dolere de peccatis ut sunt injuria Deo facta. Item eo ipso quod tenemur ad diligendum Deum super omnia, obligamur ad detestandum quidquid illi displicet, atque ad recuperandum ejus amicitiam, si per peccatum eam amiserimus.

92. Obijcies quartò: Deus non potest in præceptis naturalibus dispensare: Sed in nova lege dispensavit in præcepto contritionis; ut enim diximus in prima conclusione, in lege nova ad implendum præceptum penitentiae, sufficit attritio cum Sacramento: Ergo præceptum contritionis non est naturale, sed positivum.

93. Respondeo primo, quod licet Deus non possit dispensare in præceptis naturalibus negativis, & permittere quod homo eliciat aliquem actum lege naturæ prohibitum, v.g. odium Dei, vel mendacium, quia illi actus sunt intrinsecè mali; bene tamen in præceptis affirmativis, & quantum ad cessationem actus; potest enim dispensare quod homo per totam vitam non eliciat actum religionis vel charitatis; & hoc modo dispensavit in lege gratiæ, quod attritio cum Sacramento sufficiat loco contritionis.

94. Respondeo secundò, quod cum satisfactio hominis ad Deum, exigat ipsam acceptari à Deo, potuit Deus non quidem dispensare in præcepto satisfactiois pro peccatis, seu contritionis, sed esse contentus minori, scilicet attritione, cum Sacramento; unde potius mutatum est medium, manente semper obligatione præcepti.

95. Ex dictis inferes, quod in omni statu naturæ humanæ qui fuit ab initio mundi huc usque, id est tam in lege naturæ, quam in lege Mosaica, homines qui in peccatum mortale inciderunt, fuerunt obligati ad actum contritionis; quia obligatio quæ oritur ex jure naturali, ad omnem statum naturæ humanæ se extendit. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 4. sic ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis*

Tom. V.

A motus necessarius. Similiter in statu naturæ puræ, citra ullum præceptum Dei positivum, & citra elevationem ad statum gratiæ; peccator obligatus fuisset per actum contritionis naturalis, Deo ut auctori naturæ pro peccato satisfacere, eique reconciliari.

§. III.

Alia difficultas expeditur.

B Dico tertio, neque statim ac peccatum commissum est, neque statim ac occurrit memoria peccati commissi, tenetur homo actum contritionis elicere. Est contra Alensem, D. Bonaventuram, Paludanum, Sylvestrum, & alios, existimantes peccatorem teneri ad eliciendum actum contritionis, quoties peccata menti occurrunt.

Probatur conclusio quoad primam partem: 96. Præceptum de contritione est affirmativum: Atqui ea est conditio præceptorum affirmativorum, ut non obligent semper ac pro semper, sed tantum aliquo determinato tempore, & positus quibusdam circumstantiis propter quam peccator teneatur conteri statim atque peccatum committit, ut patebit ex solutione objectionum: Ergo peccator non tenetur conteri statim atque peccatum commissum est. Ex quo etiam probatur secunda pars, nam peccatum commissum occurrere memoria, non est circumstantia, quæ posita, statim obliget præceptum affirmativum contritionis.

Confirmatur: Non minus præceptum charitatis obligat ad diligendum Deum, quàm contritionis ad detestandum peccatum. At sola memoria seu recordatio Dei, non obligat ad actualem illius dilectionem: Ergo nec sola recordatio peccati, ad actualem ejus detestationem.

Dico secundò, præceptum contritionis non obligat ad detestandum peccata nondum remissa 97. diebus festis. Est contra Marsilium, Angelum, & Gabrielem, existimantes, præceptum contritionis saltem diebus dominicis, & festis obligare; quia in his tenemur vacare cultui divino, auditioni Missæ, aliisque orationibus, ad quod necessarium est affectum peccati deponere, & Deo per contritionem reconciliari. Pro hac sententia solet etiam citari Scotus in 3. dist. 32. qu. unica §. quantum ad secundum, qui tamen loquitur de actu dilectionis, sed videtur par esse ratio de contritione in peccatore.

Probatur breviter conclusio, quam docent communiter Theologi: Ex usu fidelium & consuetudine satisfit præcepto de sanctificandis festis, si & ab operibus servilibus absteineatur, & missa ac officium divinum audiat, quorum neutrum cogit contritionem. Unde de omissione præcepti contritionis in diebus festis, nec se accusant fideles in confessione, nec Confessarii de illo interrogare solent, quod non leve indicium est, nequaquam extare tale præceptum. Nec obstat quod finis præcepti colendi dies festos, sit animam Deo sanctificare, nam ut communiter dicitur: non semper finis præcepti cadit sub præcepto.

Confirmatur: Non semper diebus festis tenemur elicere actum dilectionis Dei, cum quo connectitur detestatio peccatorum nondum remissorum, menti occurrentium: Ergo nec actum contritionis quo peccata nondum remissa expressè & formaliter detestemur.

Ecc iij

Dico

Dico tertio, præceptum contritionis per se obligat in quibusdam casibus, & per accidens in aliis.

100. Probatur conclusio recensendo & explicando illos casus in quibus per se & per accidens obligat tale præceptum. In primis ergo per se obligat in articulo mortis verò vel præsumpto; quia tunc unusquisque tenetur, & ratione charitatis erga se, & ratione satisfactionis, dilectionisque erga Deum, perfectam agere poenitentiam, Deoque perfecte reconciliari, cum aliud tempus ad poenitendum non superfit. Unde de Augustino narrat Possidius, quod solebat dicere, *neminem, etsi nullius sceleris sibi confusus esset, committere debere, ut sine poenitentia migraret e vita*. Quapropter cum ipse discessum e vita sibi instare intelligeret, Psalmos David qui ad poenitentiam pertinent, in conspectu posuit, profusus lachrymis legebat.

101. Secundò hoc præceptum per se obligat in morali periculo vitæ, non in quo uni aut alteri, sed in quo plerisque solet mors contingere, ut in bello, peste, vel in longa & periculosa navigatione; quia morale periculum vitæ, æquivalet supremo articulo mortis.

102. Tertio obligat, per accidens in multis casibus. Primus est, quando homo tenetur recipere aliquod Sacramentum vivorum, quia talia Sacramenta nequeunt recipi nisi à justificatis, & consequenter à contritis vel attritis simul confessis. Secundus, quoties sunt administranda Sacramenta, nam tunc tenetur minister in sanctitate se conformare Deo ut principali agenti cum quo concurret ut instrumentum ad productionem gratiæ. De quo plura diximus in Tractatu de Sacramentis in communi disp. 6. art. 4. Tertius, in casu quo currit præceptum annuæ confessionis, & deest Confessarius; nam tunc tenetur contritione supplere defectum Sacramenti, quia præceptum confessionis in lege Evangelica est subrogatum præcepto contritionis. Quartus, cum urget gravis aliqua tentatio, quam sine contritione homo moraliter non potest superare; tunc enim obligatur per accidens ad contritionem, ex præcepto virtutis contra quam est tentatio. Demum præceptum contritionis obligat per accidens in casu publicæ necessitatis, quando probabiliter timetur, Deum punire populum ob peccata particularia. Nam tunc unusquisque tenetur per contritionem se disponere ad placandam divinam iustitiam, ne propter sua peccata Deus totum populum puniat, sicut propter solum peccatum Achan punivit totum exercitum Israel Josue 7.

103. Quæres, utrum in mortis articulo teneatur homo elicere actum contritionis, quando habet copiam Confessoris, & potest suscipere Sacramentum poenitentiae, per quod cum sola attritione justificari potest?

Respondeo illum ad id non obligari, ex vi præcepti poenitentiae, bene tamen ex vi præcepti charitatis?

Prima pars patet ex supra dictis, ostendimus enim §. 1. conclus. 1. in lege nova hominem satisfacere præcepto poenitentiae per actum attritionis conjunctum cum Sacramento. Secunda verò probatur, quia cum præceptum charitatis obliget saltem in articulo mortis, homo tunc ex vi hujus præcepti tenetur actum charitatis elicere, ut incipiat actuali charitate Deo conjungi ad quem properat, in æternum postmodum duratura: Sed moraliter impossibile est, quòd poenitens recordatus suorum peccatorum, diligit

A Deum, & non conteratur de illis. Ergo tunc per actum contritionis elicere. Obligatur enim modo ex charitate sibi subvenire meliorem conditionem quo potest; præsertim in articulo mortis, in quo æternitatis jacitur alea, & intanto periculo salutis æternæ periculis irreparabiliter, & damnationis tam gravis incurrendæ: unde cum non sit omnino certum ac ineluctabile, unde cum nem solum cum Sacramento justificare, & plures Theologi non contemnendæ auctoritatis, non solum id esse incertum, sed etiam falsum existiment; quamvis opposita opinio probabilior sit, & Tridentino conformior; nihilominus debet tunc poenitens tutiorem partem eligere, uti medio certissimo & tutissimo, nimirum contritione, ac ea supplere quicquid incertum, vel dubium, vel minimum esse potest. Adde quod, quamvis opinio asserens attritionem solum cum Sacramento justificare, esset omnino certa, tamen non est adeo certum, an poenitens sit Sacramenti poenitentiae capax, vel rite absolvan- Quid enim si ipse non esset baptizatus, vel si Sacerdos non esset verè ordinatus, aut non haberet intentionem absolvendi? Debet ergo tunc elicere actum contritionis, ut sibi in periculo damnationis æternæ, meliori modo possit subvenire, & prudens illud Augustini consilium sequi. In his quæ salutis sunt, tene certum, demitte incertum.

§. IV.

Solvuntur obiectiones.

O Biectiones primò contra primam conclusionem: Eccl. 5. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Apocal. 2. dictum est Angelo, id est Episcopo Ephesino: *Age poenitentiam: sin autem, veni tibi cito, & mideo candelabrum tuum de loco tuo*. Idem dictum est Angelo Pergamentis: *Ergo tunc est licitum poenitentiam differre, sed peccante nequeat mox ut peccavit, aut saltem statim accurrat memorie peccatum commissum, de eo poenitere, & actum contritionis quo Deo reconcilietur elicere*. Unde SS. Patres graviter reprehendunt eos qui differunt poenitentiam usque ad tempus mortis: Augustinus enim serm. 57. de tempore sic ait: *Poenitentia qua ab infirmo petitur, & firma est; qua autem à moriente petitur, & ipsa moriatur*. Ex serm. 71. ad fratres in eremo: *Satis alienus est à fide (inquit) qui ad agendam poenitentiam, tempus senectutis exspectat*. Seneca quoque in quadam Epistola, non minus eleganter, quam verè scribit: *Quam tanta mortalitatis abusus, usque ad quinquagesimum vel sexagesimum differre consilia, & tibi velle bene vivere, ubi definendum est. Cogitari in iuventute de nene vivere, ut in senectute bene moreris. Cui conformiter ait Eucherius Lugdunensis: *Maximè est, ut causa quæ de necessitate agitur æternis, mutabilibus vitæ deficientibus committatur æternis*.*

Ad primum Scripturæ locum respondeo primò, quod licet illa verba sacre Scripturæ, quantum ad substantiam conversionis per contritionem, importent præceptum; quantum ad modum tamen, & circumstantiam temporis, quæ accelerationem, continent solum consilium. Secundò dico, dato etiam quod verbum illud præceptum contineatur, illa non facere ad præceptum, nam ille non tardat qui differt, seu qui non statim

statim facit quod potest sed qui non facit eo tempore quo faciendum est. Sic 2. Petri 3. dicitur Deus non tardare suam promissionem, etiam si eam non implet statim atque potest, quia tempore convenienti implet, nec ultra differt, quam deceat. Sic etiam dicitur ille non tardare proficisci ad scholas; non qui statim atque potest, sed qui hora convenienti eo proficiscitur, cum posset citius.

Ad secundum respondeo ad summum conclusionem ex hoc loco Episcopos illos fuisse obligatos ad agendam penitentiam ex vi precepti ipsius. Vel per hæc verba *Veniam tibi cito*, diem mortis intelligi; imminente autem mortis periculo, peccator tenetur conteri, ut in tertia conclusione dictum est.

Ad testimonia SS. Patrum dicitur eos locis citatis reprehendere peccatores qui penitentiam usque ad mortem differunt, quia licet preceptum penitentiae non obliget ex vi sua nisi in articulo aut periculo mortis, per accidens tamen durante vita, ob varias tentationes & pericula occurrentia, vel propter alia precepta quae sine contritione impleri non possunt, obligat peccatores, ut in ultima conclusione declaravimus.

Obijcies secundum: Si homo non peniteat statim post peccatum, peccat mortaliter: Ergo preceptum contritionis obligat statim post peccatum commissum. Consequentia patet, Antecedens probatur. Velle statim peccati mortalis, est mortaliter peccare: Sed existens in mortali, & omittens contritionem, virtualiter & interpretative vult statim peccare, cum nolit adhibere medium per se necessarium ad tollendum peccatum: Ergo peccat.

Respondetur negando Antecedens, & ad illius probationem, nego Minorem: effectus enim ex omissione sequens, non censetur virtualiter & interpretative voluntarius, nisi illi qui potest, tenetur, & non facit, ut fuse ostendimus in Tractatu de actibus humanis disp. 1. art. 3. variisque exemplis declaravimus: peccata enim non censentur Deo voluntaria, quia licet possit ea impedire & non impediat, non tenetur tamen ea impedire, nec dare auxilia efficacia ad ea evitanda. Item gubernator non dicitur causa submerisionis navis, ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens & debens, ut inquit S. Thomas 1. 2. quest. 79. art. 1. Similiter exiens quis ab Ecclesia, relinquit fores apertas, ex quo accidit furem intrare in Ecclesiam, & furtum committere: tale furtum ipsi non imputatur ut voluntarium, quia non tenebatur fores claudere, bene tamen ostiario, quia tenetur fores claudere & custodire. Cum ergo ille qui peccavit mortaliter, non teneatur statim conteri & penitere, non censetur virtualiter & interpretative velle statim peccare.

Obijcies tertio: Lex iustitiae obligat ad restituendum statim rem furto ablatam, & refarciendum damnum illatum proximo: Ergo similiter quando peccavimus, tenemur statim satisfacere Deo per penitentiam & contritionem.

Respondetur, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Ratio discriminis est, quia homo per furtum patitur damnum in bonis sibi utilibus, & ideo qui est in mora culpabili restituendi, est causa cur homo novum damnum percipiat, unde de novo peccat, quoties menti occurrit restitutio facienda, & potest eam facere, & non facit: Deus vero non patitur in-

juriam in bonis sibi utilibus, nihil enim ipsi utile aut necessarium aufertur per peccatum: & ideo ex dilatione nostrarum satisfactionum, nullum ei de novo advenit nocumentum.

Dices, Si quis laedat alium in fama per detractionem, tenetur statim damnum reparare, licet non laedat in bonis utilibus: Ergo similiter, licet homo per peccatum nihil utile aut necessarium Deo auferat, quia tamen ipsi irrogat injuriam, & debitum honorem ei aufert, tenetur statim ei satisfacere per contritionem.

Respondetur distinguendo Antecedens, tenetur statim reparare, per se nego: per accidens (id est si sit periculum ne res divulgetur, & majus detrimentum in fama adveniat proximo) concedo. Idem dicendum est de Deo, si enim ex dilatione nostrae penitentiae & satisfactionis, periclitetur honor & fama Dei apud homines, majorque ut ita loquar infamatio Dei sequatur, in eo casu tenetur homo, statim per penitentiam ei satisfacere, ut contingit cum quis pravam doctrinam disseminavit, tunc enim tenetur statim penitere, & retractare quod dixit.

Obijcies quarto: Cum homo in morbum incidit, aut vulnus aliquod recepit, statim tenetur adhibere medicamenta, ne salus corporis periclitetur: Ergo multo magis cum peccavit, tenetur statim adhibere medicamentum penitentiae, ne periclitetur salus animae.

Respondetur illi qui in morbum incidit aut vulnus lethale recepit, teneri statim adhibere medicamenta, quando ex dilatione verisimiliter timeatur mors eventura, aut aliquod aliud notabile damnum, cui postea occurrere non possit: non tamen si nullum tale periculum probabile timeatur, idem cum proportionem dicendum est de eo qui peccavit, eadem enim est ratio quantum ad hoc de salute animae & corporis. Solutio est D. Thomae infra quest. 6. art. 5. ubi quaerit, *utrum statim teneatur quis confiteri?* & respondet negative, ac secundo in contrarium sibi obijcit: *Quis, vel tenetur plus facere ad evadendum morbum spirituale, quam ad evadendum morbum corporalem?* Sed aliquis infirmus corporaliter, non sine detrimento salutis medicum requirere tardat: Ergo videtur quod non possit esse sine detrimento salutis, quod aliquis Sacerdos cuius copiam habet, non statim de peccato confiteatur. Cui argumento sic respondet: Ad secundum dicendum quod non est de necessitate salutis corporalis ut statim medicum queratur, nisi quando necessitas curationis incumbit; & similiter est de morbo spirituali.

Obijcies quinto: Ex precepto charitatis statim tenemur corripere fratrem delinquentem, ut eum a peccato eruiamus: Ergo a fortiori, quando peccavimus, statim obligamur nos a peccato per contritionem liberare.

Respondetur primo, negando Antecedens, non tenemur enim ad correctionem fraternam statim postquam frater peccavit, sed data opportunitate, nisi vel timeatur periculum novi peccati, vel non speretur similis opportunitas in qua saltem ita commodè possimus fratrem nostrum corrigere. Idem cum proportionem dicendum est de correctione propria.

Respondetur secundo, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia nostra salus semper est in potestate nostra, non verò salus proximi: unde cum non possit nobis constare correctionem habituram effectum in fratrem, tempore necessitatis, quo

quo ipse sibi ex novo præcepto tenetur salutem A procurare, statim postquam peccavit, vel datâ opportunitate, ex præcepto charitatis, tenemur ipsum corrigere.

117. *Disp. 1. art. 6.* Objicies sextò: Privatus gratiâ habituali non potest diu omnia peccata vitare, ut docuimus in Tractatu de gratia: Ergo tenetur statim gratiam recuperare, ne se constituat sub morali periculo in alia peccata incidendi. Nam teste Gregorio homil. 11. in Ezechiel. Peccatum quod per penitentiam non deletur: suo pondere trahit ad aliud. Vel ut ait Prosper lib. 5. de vocat. gent. cap. 2. Voluntas mutabilis quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius appropinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.

118. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: cum enim tempus quo potest homo privatus gratiâ habituali, abstinere à peccato, incertum & indeterminatum sit, etiam periculum peccandi in quo versatur, est indeterminatum & incertum: licet autem unusquisque teneatur evitare determinatam peccandi occasionem, determinatumque periculum, secus tamen si hæc certa & determinata non sint.

119. Objicies septimò contra secundam conclusionem, in qua diximus, præceptum contritionis non obligare ad detestanda peccata nondum remissa diebus festis. In diebus festis tenemur Deo vacare: At homo existens in peccato mortali, non potest Deo vacare, nisi prius de peccatis conteratur, & per contritionem Deo reconcilietur: Ergo existens in peccato mortali, tenetur, saltem diebus festis, ad hunc contritionis elicere. Unde Levitici 23. dicitur: *Scitatum requiritur est, affligetisque animas vestras.* Et paulo post: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit.*

120. Respondeo, concessio Majori, negando Minorem; præceptum enim cplendi dies festos, solum obligat ad vacandum Deo, & exhibendum illi debitum cultum, per opera religionis, & cessationem ab operibus servilibus: hæc autem fieri possunt etiam à peccatore. Unde ad locum Levitici respondet aliqui, illum non intelligi de contritione interna, sed de afflictione externa per abstinentiam à voluptatibus. Sed esto intelligatur de contritione interna, quod probabilius est: erat enim institutum semel in anno die decimâ mensis septimi festum propitiationis seu expiationis, in quo Sacerdos sacrificabat & orabat pro peccatis populi, ut Deus illis peccata remitteret; unde tunc obligabat præceptum contritionis de peccatis nondum remissis. Verum hoc præceptum in lege Evangelica commutatum est in præceptum annuæ confessionis, quod, ut supra diximus, non obligat ad contritionem, sed duntaxat ad attritionem supernaturalem; quia in lege Evangelica attritio iuncta Sacramento æquivalere contritioni, & reddit hominem de attrito contritum.

DISPUTATIO VIII

De Præcepto Confessionis.

Ad quest. 6. supplementi.

DE præcepto contritionis egimus diffinitione præcedenti, in hac diffinitione breviter de præcepto tam divino quam Ecclesiastico confessionis, quæ est secunda pars sacramentalis Sacramenti penitentiae, de qua S. Thomas disputat quest. 6. supplementi, & quinquaginta quæstionibus.

ARTICULUS I.

An confessio sacramentalis sit iure divino positivum præceptum, & quas personas, quove tempore obliget tale præceptum?

CErrum est confessionem sacramentalem non esse de jure naturalis, ut docet D. Thomas hic art. 2. Tum quia sacramenta (inquit) non sunt de iure nature, sed de iure fidei, quod est supranaturale. Tum etiam quia natura non inclinat ad confessionem peccatorum, prædictum occultorum. Tum denique, quia quod est de jure naturali, est commune apud omnes gentes, non sit in omnibus illis eadem natura rationalis, & idem rationis dictamen. Unde Iulius lib. 2. de invent. Im naturale est (inquit) quod non minus genuit, sed innata quadam vi inferunt. Solum ergo difficultas est, an confessio sacramentalis sit de jure divino positivo, & an fideles habeant præceptum à Christo peccata sua ad sacerdotes confiterendi? Pro resolutione.

Dico primò, confessionem sacramentalem esse de jure divino præceptam. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 14. cap. 1. can. 6 & 7. contra hæreticos nostri temporis. Probatum primò: Christus Joan. 20. dedit apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, potestatem absolvendi fideles à peccatis, eaque juxta ipsorum arbitrium retinendi: At Sacerdotes non possunt habere potestatem peccata fidelium retinendi, si ipsi fideles præceptum à Christo non habeant sua peccata ad Sacerdotes confiterendi. Ergo confessionis sacramentalis usus ab ipso Christo præceptus & institutus est.

Probatum secundo: Christus Sacramentum penitentiae quoad omnes suas partes instituit, ut disp. 1. ostensum est: Ergo usum ejus, scilicet deque sacramentalem confessionem, præcepit. Probatum Consequentia, tum exemplo Baptismi, quod quia institutum est à Christo, voluit Christus ad illud servandum peculiari præcepto omnes obligare. Tum etiam ratione, nam legem ac providi legislatoris munus est, non modo sanctissimis legibus cives instruere, sed etiam etiam servandas, quantum fieri potest, eos obligare.

Probatum tertio: Præceptum confessionis in lege Evangelica successit præcepto contritionis, alioquin Christus per præceptum confessionis non alleviasset, sed aggravasset onus, nam præ-